



FERDINANDI RUIZII VILLEGATIS BURGENSIS

QUÆ EXSTANT OPERA;

EMMANUELIS MARTINI ALONENSIS DECANI STUDIO EMENDATA,

ET AD FIDEM CASTELVINIANI CODICIS CORRECTA:

A BERNARDO ANDREA LAMA iterum recognita ac recenſita nunc primum prodeunt

juſſu

EXCELLENTISSIMI DOMINI

J. BASILII A CASTELVI

Coloma, Alagon, & Borgia, Comitis a Cervellon, & Buñol, Marchionis a Villa-Torcas, Baronis Oropeſſæ, Hiſpaniæ Magnatis, Cæſaris nobilis Cubicularii, ejuſque a conſiliis in ſupremo Hiſpaniarum Conſeſſu.



VENETIIS

TYPIS JOANNIS BAPTISTÆ ALBRIZZI HIERON. FIL.

MDCCXXXIV.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

EMMANUEL MARTINUS

ALONENSIS ECCLESIÆ DECANUS

JANO BASILIO CASTELVINIO.

CERVELIONIS AC BUGNOLII COMITI,
PRÆTORI VALENTINO INTEGERRIMO,
VIROQUE ERUDITISSIMO

S. D.

PAtrem tuum ſcis quanti faciam, Vir nobiliſſime, cum ob ejus mitem, ſenemque naturam, & come ingenium; tum ob ipſius ſtudium in promovendis litteris, doctorumque hominum induſtria fovenda. Quo ego *no-*

nomine ita illum ſuſpicio atque revereor; ut ab ejus ſententia vel tranſverſum unguem diſcedere, nefas ſemper duxerim. Eo proſequor amore, eaque benevolentia, ut plane videatur ille mihi vel Veneris ceſtum habere, vel iyngem. Cum igitur proximis diebus una eſſemus, ac Ferdinandi Villegatis poematum mentio incidiſſet; codicis illius edendi deſiderio vehementer eſt inflammatus; meque, uti de hoc negotio conficiendo diligentiſſime ad te ſcriberem, per caput perque fortunas obteſtatus eſt. Adjecitque numquam ſe deſtiturum a fodicando, donec perficeret. Eo ſe quoque accuratius ad te daturum litteras. Noſti ejus ingenium. Quicquid cupit, vehementer cupit. Itaque, de Te per litteras adhortando, ſedulo cogitare cœpi. Neve ad ſcrupum aliquem vel leviter impingeres, viam tibi prius complanare volui, atque pur-

gare:

gare: ut amotis offendiculis, nihil prorsus esset quod moram afferre posset rei perficiendæ. Codicis mendas, quantum in me erat, ex conjectura detersi; Præfationemque adjunxi oppido necessariam. In ea enim nitidissimi auctoris memoriam, jampridem emortuam, quasi recenti quodam infuso spiritu, suscitavi;

Quam nec Jovis ira, nec ignes,
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas.

Commodum enim accidit, ut apud Patrem tuum esset illud ipsum prototypon e bibliotheca vestra erutum; cujus mihi liberalissime copiam fecit. De Mæcenate quærendo omnis deliberatio. Videbatur clarissimi operis amplitudo jure sibi deposcere, ut non nisi ad aras sisteretur alicujus e Consentum numero. Munus enim eximium eximio egebat numine. Igitur optimum factu visum est, siquidem Hi-

spani

ſpani ſcriptoris famam, Hiſpanæ juventuti committeremus. Verum id conſilium ea tantum conditione ratum fore, ſi tu probaveris. Habes rem plane extricatam atque expeditam. Reliquum eſt, ut editionem naviter urgeas. Curæ mihi erunt operæ typographicæ; ſi Mantuanas haſce Valentinis prætuleris. Quidni igitur ignavam iſtam cunctationem excutis? Flagitat Pater, cujus opera, ſtudio, diligentia, ſumptu, ſervatum eſt tam egregium Hiſpanicæ gloriæ monumentum. Flagitat (ſi quid habent ponderis officia noſtra) addictiſſimum tibi caput. Ipſius auctoris manes ſupplices (ut ita dicam) tibi manus tendunt, fidemque tuam implorant atque obteſtantur. Poſtulat denique Hiſpanici nominis decus ac ſplendor. Ecquid famæ tuæ turpiſſimam illam notam inures, ut incuria tua (pene dixeram, inertia) nitidiſſi-

mi

mi auctoris immortalia ſcripta in antiquas tenebras devolvantur ? Apage hoc ſcelus. Sitque ornamento Caſtelviniæ genti, quod ex domeſtica eorum bibliotheca clariſſimum id aſtrum prodierit, quod fulgore ſuo Hiſpanias illuſtret. Per ego te optimi parentis deſideria, per fortunas & ſalutem tuam, per chariſſimum tibi ſanctiſſimumque lectiſſimæ conſortis caput, oro atque obſecro: per utriuſque genium, quorum animos non tam lecti genialis fœdus atque ſocietas, quam morum ſtudiorumque ſimilitudo conjunxit. Colit enim illa impenſe amœniores has litteras, Muſarumque oblectamenta ſectatur, Nec has tantum, quarum venuſtate, lepore, elegantia, mortalium mentes arcana quadam illecebra deliniuntur; ſed moleſtas alias ac ſpi-

noſiores , cujuſmodi eſt ſtudium genealogiæ . In quo certe quantum illa profecerit , latet neminem , ſummorum mehercule virorum exemplo Varronis , T. Pomponii Attici , M. Valerii Meſſallæ oratoris , Hygini , aliorumque : e recentioribus autem Raphaelis Volaterrani , Fulvii Urſini , Antonii Auguſtini , Richardi Streinii , Jani Roſæ , & Glandorpii . Teruntur enim omnium manibus illuſtrium familiarum aliquot ſtemmata , ab ornatiſſima fœmina ſumma induſtria ſummaque dexteritate concinnata : quodque magis mirere , id ætatis , quum muliebre ingenium formæ ſtudio unice vacare ſolet . Addo in eximia pulchritudine ac venuſtate , pæne dixi , puella . Minime igitur dubito , quin illa quoque votis noſtris accedat : quæ rata fore , pro tuo

in-

ingenio , pro charitate in patriam , pro obſervantia erga parentem , proque eximia tua adverſus nos benevolentia , facile ſpero atque confido . Vale . Mantuæ novæ in Carpentanis . IV. Eid. Sept. An. MDCCV.



JANUS BASILIUS CASTELVINIUS
EMMANUELI MARTINO,
ECCLESIÆ ALONENSIS DECANO
S. P. D.



ETsi ſuaſoriam tuam epiſtolam accipio ex ea parte, quatenus blandis verbis, comitate, amicoque alloquio me invitare videris, ducere in viam,

at-

atque eam mihi digito monstrare, non tamen ipsam probo, in qua Censoris veste indueris. Quid me, sponte mea satis incitatum, impellis, & verbis manibusque hortaris? Currenti calcaria addis? Non ne a me quæris id ipsum, quod abs te flagito? In jus te voco. Te, te inquam, contra te testem suscitabo. Licet ne antestari? Porrige aurem. Meminisse te credo, quot quantisque te precibus obsecravi, immo fatigavi, ut Villegati nostro extremam imponeres manum, ejusque codicis mendas abstergeres. Tibi commissum opus, quam diu latuerit tu certe scis; & ego sane non ignoro. Sed hæc sint dicta potius, ut me expertem criminis demonstrem, meamque ut tuear innocentiam, quam ut tuam accusem cunctationem: absit verbo

in-

invidia . Scio quidem , atque exploratum habeo te numquam manum intra pallium continere , hoc maxime tempore , quo Ecelestæ Principis Κειμηλιάρχης *in disponenda in pluteis numismata , suisque in regionibus collocanda , toto pectore incumbis . Hoc enim facit , ut non modo diem tibi dictum differam , verum etiam omnino incœpto desistam . Et merito quidem : nam si Villegatis codex per diu apud te , sepositus videretur , id factum puto , ut longi temporis usuram , qua caruimus , uberrimo emendationum tuarum fructu sarciamus . Illustratum mittis , redivivum sic ipsum reddis , ut ne ego quidem , qui tam frequenter , assidue , diligenterque totas ipsius paginas perlustravi , vix ejus os agnoscere possim , ejusque faciei lineamen-*

ta ,

ta , ægre , immo , ut ita dicam , inaniter rimor . Quantum mutatus ab illo ! Ab illo nempe Villegate , qui tot mendis ſcatebat , tot depravatis locis laborabat : cui , eam ob rem , tot medelas adhibere opus erat . Sed erat etiam cavendum ne frumenti radices , ſupra modum effodiendo , evellerentur . Quamobrem tu bonus agricola , bonuſque colonus , provide prudenterque te geſiſti : non temere in ſegetes , ſimul ac in noxias herbas, aduncam falcem immiſiſti ; ſed eas leviter ſcalpendo , inſtar optimi ſarritoris, a loliis , tribulis , carduis , lappiſque ſarculo purgaſti . Quo fit , ut purgatiſſima meſſe non tantum Hiſpanam juventutem ſatiaveris , ſed etiam totum litterarium orbem ſaturaveris . Qualem meſſem ! vere auream : utpote aureo ſæculo vere

di-

dignam. Sed hæc tu ſcis; & qualia, quantique ſint pretii, judicio tuo probata, lecturis oſtendis. Mirari ſatis non poſſum quorundam hominum ingenia, quibus nihil placet, nihil probatum eſt, niſi illud cui inſunt ſtigmata patria, ejuſdemque civitatis ſigna: illis ſimillima, quorum imbecilla palata omnia faſtidiunt, præter ea, quæ propio ſolo nata, longa aſſuetudine, grata percipiunt: vel potius aliis, quibus adulterini, ſuſpective qualeſqunque ſunt nummi extranea ſignati nota. Iſti ergo critici, iſti pſeudo-Ariſtarchi, neſcio qua cenſoria virga, Hiſpanorum hominum nomina ſeveriſſime notarunt, eiſque ademerunt humaniorum diſciplinarum amœnitates, & Philologiæ, ac linguarum notitiam. Sed immerito quidem. Fremant alii,

li-

licet : dicam quod ſentio : nam in Græcæ paleſtræ exercitatione, plurimos palmas tuliſſe nemini latet : Sanctios, ſcilicet, Barboſas, Sepulvedas, Vergaras, Lacunas, Pincianos, Verzoſas, Covarrubias, Statios, Marianas, Nunneſios, Mendozas, Poncios, Salas: quibus etiam, ſimul & in arena Romana, a cuncto eruditorum conſeſſu, plauſus eſt multiplex datus. Ubi, nec eis invidiſſe ignotum eſt, incompertumve, illos omnes Antonios, Vilchios, Reſſendios, Zuritas, Vives, Fevios, Ciaconios, Foxios, Matamoros, Perpinianos, Auguſtinos, Oſorios, Alvaros, Cerdas, Miedes, Blancas, Calvetos, & quamplurimos, qui æquali curſu & gloria, citra pulverem, ad metas properarunt. Sed quorſum tendit oratio? Quo me trahit & patriæ, &

C *ve-*

veritatis plusquam dulcis amor? Redeamus in viam: in illam nempe præruptam, salebrosam, quam explanavisti, ipsiusmet Villegatis scriptis illustrasti; cujus, e tenebris oblivionis, pæne obliteratam memoriam vindicasti. Dolebam tecum, ac vehementer angebar, cum viderem tot incassum nostros ivisse labores, ut neque penes amicos æqualesque scriptores, quos ipse recenset, tanti viri mentionem aliquam invenire liceret. Dolet, inquam, mihi, cum nec apud Hispanos homines eruditos, qui proprias Historias tractarunt, nec etiam apud eos qui Genealogi vocantur, ipsius Villegatis, vel ipsius operum memoriam cernere, immo nec vestigia in pulvere percipere fas sit. Unus est mihi, præter Nicolaum Antonium, a te allatum, Laurentius nempe Vander

Ham-

Hammen, qui in ſuo libello Philippi Prudentis, illuſtre noſtri Auctoris teſtimonium reliquerit poſteritati. En verba, ut ſonant Latine, ex Hiſpanico idiomate translata: Floruit Ferdinandus Ruizius Villegates excellentiſſimus Poeta Latinus, ut ejus multa & docta ſcripta fidem faciunt: *En tibi omnes fructus noſtri laboris. Ceterum, ut jam ad ſcopum epiſtolæ tuæ revertar, inhoneſtum mihi foret, immo & turpe, ſi inſtitutæ orationi finem imponerem, priuſquam tibi gratias agerem. Pergratum mihi eſt quod ſuades de Villegatis editione adornanda, quum ſummo ſtudio curaverim, quod tu curari volebas: ſpero fore, ut ex ea mihi aliqua gloriola contingat, & Bibliothecæ noſtræ non parum honoris. Fateor me tibi hoc officio magnopere devinctum eſſe: efficiam, ut tuum in*

me beneficium, ad te ſine mora, non ſine fœnore, redeat. Ecquando, inquies? Diſpeream, niſi in primis ego velim. Sed tempora quæ impendeant vides. Jubeo nihilominus te bene ſperare, & bono animo eſſe: fiemus propediem voti compotes, ſi benigna fors arriſerit. Sed dum in conſultationibus his me exerceo, Franciſca mea etiam atque etiam urget, atque adeo flagitat me, ut te deſiderare diutius non patiar Villegatis editionem. Tanti enim eſt a tali viro laudari. Trahimur omnes laudis ſtudio. Satis, vel etiam nimium multa me ſcripſiſſe vereor. Vale mi Martine; noſque, quod ſoles, ama. Valentiæ in Ædetanis. Prid. Kal. Octobr. An. MDCCV.

EMMANUEL MARTINUS

ECCLESIÆ ALONENSIS DECANUS

HISPANÆ JUVENTUTI
S. D.

CUjusnam tutelæ postumam hanc nobilissimi parentis prolem commendarem, cum paulo attentius deliberarem; pulsavit animum, Juventus Hispana, eximia illa tua virtus, & generosa indoles, ingeniique opibus florentissima. Cui enim nostratis hominis famam tutius committerem, quam tibi; ut eam copiis, patrocinio, auspiciis tuis consecrares? Perierat funditus tanti viri memoria, atque evanuerat, nisi ita fors tulisset, ut in eum ego codicem incidissem; ac Janus Basilius Castelvinius, Prætor Valentinus, in curam incubuisset ejus luce publica donandi. Quando igitur ille ex oblivionis tenebris erutus ac redivivus, squallore deterso, vestram fidem implorat jure Quiritium; ferte opem, & salutem maxime indigenti. In quo profecto elegantissimi poetæ famæ, atque immortalitati consuletis, unaque patriæ gloriæ atque ornamento. Habetis domesticum exemplar quo studia vestra colliment, absolutam poeticæ elegantiæ imaginem quam imitemini. Arripite præstantissimum hoc munus e cælo delapsum (veluti alterum Minervæ simulacrum) ea alacritate, qua studia litterarum, ac disciplinas soletis capessere. Non amplius Latinæ venustatis auctor foris est arcessendus. Domi habetis, cujus sectemini vestigia. Habet tandem Hispania nostra quod opponat exterorum contumeliis, qui adhuc ob inscitiam nostram Latini sermonis, vel potius ob neglectum ejus cultum, in existimationem famamque Hispanici nominis quasi facto agmine irruerunt, conviriorumque plaustra in nos impudentissime conjecerunt, jurene an injuria, non ausim dicere. Volo enim consulere verecundiæ vestræ. Non tamen abstinebo a vos exhortando, ut in curam elegantiores has litteras revocandi quam diligentissime incumbatis. Philologiæ manum

por-

porrigite, jam dudum animam agenti, ac tantum non mortuæ. In memoriam revocate præclara illa nomina, Antonium Nebrissensem, Franciscum Sanctium, Ludovicum Vivem, Antonium Augustinum, Petrum Ciaconium, Ferdinandum Pincianum, Alvarum Gomesium, Palmyrenum, Sepulvedam, Ramiresium, aliosque: quorum fama tamdiu perennabit, quamdiu suus litteris constabit honos, quorumque gloria cum turpissima ignaviæ nostræ exprobratione conjuncta est. Abolete igitur hanc dedecoris notam, jamdiu generi nostro inustam. Non aliunde vobis comparandæ copiæ, sed abunde in vestra sitæ sunt potestate; quibus mortales universos mentis acumine, ingenio, industria, longe antecellitis. Exerite, Hispani Juvenes, vires vestras, nervosque omnes intendite, ut pulcherrimam hanc, omnibusque deliciis affluentem amœniorum litterarum provinciam, in vestram redigatis potestatem. Cujus provinciæ potiri, non tantum summa laus est, summumque ornamentum; sed & summa voluptas. Non enim per sterilem aut spinosam aliquam solitudinem, vepretis ac senticetis horridam, ingrediendum est vobis; neque arida ac siticulosa regio calcanda: sed virentia undique prata, florum varietate eximia, uberrimisque fontibus, quadam velut illecebra, sensus delinientia, quorum haustus incredibilem affert voluptatem. Nihil homine liberali dignius præclaro hoc studio; cujus afflatu nec barbarie inquinamur, nec fœdamur sordibus, cujus ductu in abditissima sanctissimæ antiquitatis sacraria penetramus: quo prælucente obscura quæque illustrantur atque patescunt, enodantur irretita, perplexa explicantur. Quæ igitur insania (absit verbo invidia) honestissimæ matronæ calcem impingere, fucumque sectari, & inanes umbras? Vos præsertim quibus natura solers, ingenium acre ac vegetum, disciplinisque & artibus exhauriendis quam aptissimum. Quod iccirco repetere volui, ut ne vestræ navitatis vel ignari, vel obliti, præclarissimum hoc studium despondeatis. Omnia vobis plana, aperta omnia, dummodo in eam incumbatis cogitationem, dummodo ad laudem

dem

dem & gloriam connitamini , atque allaboretis . Priuſquam autem ad ea ſtudia gradum conferatis , aliquid monere per mihi viſum eſt neceſſarium ; nimirum , ſine litteris Græcis irritos eſſe conatus , & inanem operam . In illis enim præteritorum temporum notitia , omnis eruditio, elegantiæ omnes , omnes ingenuæ diſciplinæ , humanitas denique ipſa continetur : ſine cujus ope ductuque ſi quid in his ſtudiis proficere tentes , perinde facies ac ſi mari te commiſeris , ſine velis remiſque . Quid M. Tullium ad ſublime illud eloquentiæ faſtigium evexit , ejus memoriam famæ immortalitate conſecravit , niſi acre illud aſſiduumque in iis litteris ſtudium ; cum ea quæ legiſſet Græce , Latine redderet ? ut divinam illam ſibi compararet ubertatem , varietatem , copiam : Quo *Latinus Orator ſine Græcis litteris pervenire non poteſt* , ut ipſemet teſtatur *de claris Oratoribus*. Ea fini , cum adhuc adoleſceret , e Græco tranſtulit Arati *Phænomena* , *Oeconomicum* Xenophontis , contrarias orationes Demohenſtis & Æſchinis , & Platonis Timæum , quem appellavit *De Univerſitate* . Sui Conſulatus hiſtoriam Græce ſcripſit in quo *ὑπομνήματι* ſe jactat omnes Ipocratis munditias conſumſiſſe : quod cum legiſſet Poſidonius , qui tum Rhodi maxime florebat , idemque argumentum cogitabat litteris commendare ; faſſus eſt ſe a ſcribendo plane deterritum . Conturbavit enim eo ſcripto , ut ipſe ait , Græcam nationem . Tradit Svetonius eum uſque ad Præturam Græce declamaſſe . Qua animi contentione id adeptus eſt , ut in utraque lingua æque diſertus , opes illas atque ornamenta , quibus Græci ceteris mortalibus anteibant , ad Romanos tranſtuliſſe videretur . Quod Apollonius Rhetor aliquando faſſus eſt , ſtupore quodam correptus , cum eum Rhodi Græce declamantem audiſſet . Idipſum ante Ciceronem alii Romanorum clariſſimi factitaverant , ut Q. Ennius , qui Epicharmi , Pythagoræ diſcipuli , librum *de rerum natura* Latine vertit ; nec non Evemeri *ſacram hiſtoriam*: tragœdias denique quamplurimas ex Æſchylo , Sophocle , Euripide . Mitto Tragicos illos Attium , Nævium , Pacuvium , Comicoſque Plautum , Terentium , qui Fabulas ſuas e Græco verterunt . Q. Fabium , & L. Cincium

Ro-

Romanorum gesta Græco sermone scripsisse, veterum monumentis proditum est. M. Catonem Censorium litteras Græcas in senectute didicisse satis constat. Lucullus Græce condidit poema, Acilius historiam. T. Pomponius Atticus sic Græce loquebatur, ut Athenis natus videretur; librumque Græce conscripsit De consulatu Ciceronis, Vir priscæ libertatis, & acris subactique judicii, qui ea quæ minus probasset in Ciceronis libris, notare miniata cera solitus erat: unde ajebat Cicero, cerulas illas miniatulas se valde extimescere. L. Crassus, ut copiam facilitatemque dicendi sibi compararet, vertere Græca in Latinum solebat: uti & Valerius Messalla Orator. Bruti Græcæ epistolæ exstant, in bello civili ad diversas civitates scriptæ, summa venustate atque acumine. Africanus major, cum Proconsul in Sicilia esset, tanto litterarum Græcarum amore captus est, ob earum leporem ac venustatem; ut Romano cultu deposito iis operam dederit, assumto pallio crepidisque: quo nomine Fabius Maximus illi apud populum invidiæ faces subjecit. Octavianus Augustus Græcas disciplinas maximo studio professus est, magistro dicendi usus Apollodoro Pergameno. Claudius etiam Græce scripsit historias Τυῤῥηνικῶν & Καρχηδονικῶν. Marcus Aurelius Antoninus conscripsit Græce libros XII. *τῶν εἰς ἑαυτόν*. Mitto alios principes, Romanosque viros clarissimos, qui contemta majestate patria, labores suos ac studia Græcis litteris consignaverunt: quorum catalogum texere, perquam esset putidum, perquamque molestum. Caussa duplex: altera, Græci sermonis copia, venustas, elegantia: altera, quod cum ejus peritia in universum terrarum orbem pervasisset, iis litteris conscripta monumenta legerentur ubique terrarum; contra vero quæ Latinis, angustis admodum finibus continerentur. Quod vel Cicero ipse fatetur in Orat. *pro Archia poeta*. Eo celebres illæ per universum fere terrarum orbem a Græcis institutæ scholæ, generis humani erudiendi caussa, quarum nobilissimæ Athenis, Rhodi, Apolloniæ, Alexandriæ. Massiliæ etiam, quam majores nostros maxime frequentasse, ut Græcis disciplinis

im-

imbuerentur, priſcis monumentis traditum eſt; quin etiam vel in ipſam Hiſpaniam noſtram ea ſtudia irrepſiſſe. Conſtat enim ex Strabone, Aſclepiadem Myrleanum in Turdetania grammaticam publice docuiſſe. In eas ſcholas, quaſi officinas quaſdam dedolandis mortalium animis inſtitutas, Romana juventus confluebat; unde in Urbe olim utriuſque linguæ uſus promiſcuus. Qui quidem Græce loquendi amor Romanam etiam plebem adeo invaſerat, ut vel feminæ ejus ſtudio inſanirent; nec ulla ſatis ſibi videretur diſerta ac blanda, niſi Græco ſermone uteretur. Exiſtimabant enim eo venuſtatem, leporem, elegantiam ſibi comparari. Quæ Græce neſcirent, ineptæ habebantur ac putidæ: quam inſaniam acriter exagitat Juvenalis in ſexta. Quid mirum omnium gentium eo conſpiraſſe animos, unde lumen liberalibus diſciplinis adipiſcendis? Ea face extincta, fœda barbarie obruuntur omnia, humanaſque mentes quædam veluti rubigo obſidet: quod reapſe experti ſumus. Regna ac provincias ad Occidentem ſitas denſiſſima ignorantiæ caligo obſcuraverat; ſed expugnata a Mahomete ſecundo Conſtantinopoli anno Chriſtiano MCDLIII. imperante Conſtantino Palæologo, exitialis illa clades & luctuoſa, quæ Orientis opes proſtravit, ac Græciæ ſplendorem extinxit, Occidenti noſtro (quæ ſunt rerum humanarum viciſſitudines) ſapientiæ lumen attulit, cultumque litterarum veluti poſtliminio reſtituit. Nam multi Græci, eruditione ac ſcientia clari, vel patriis ſedibus ejecti, vel Turcarum crudelitatem exoſi, cum in Italiam ſe recepiſſent, litterarum ſtudia jam pridem emortua, & exanimes ſcholas ſuſcitare conati ſunt. Quorum primus fuit Emmanuel Chryſoloras, qui Venetiis primum, mox Florentiæ, Romæ deinde, ac tandem Ticini litterarum Græcarum ſtudium tam proſpero eventu profeſſus eſt, ut ex ejus ſchola ſummi viri prodierint, Leonardus Aretinus, Franciſcus Barbarus, Philelphus, Guarinus, Poggius, aliique. Cui ſucceſſit Beſſarion ſecta Platonicus, in ampliſſimum poſtea Cardinalium Collegium cooptatus. Æqualis illorum fuit Georgius Trapezuntius

Cretensis Peripateticus . Hic Romæ renascentibus tum temporis litteris primus habitus est , qui Græca felicius in Latinum verteret. Amurathe deinde Græciam omnem igni ferroque vastante , ad Italiam appulit Theodorus Gaza Thessalonicensis; vir, cum acumine ingenii , tum linguæ peritia , Græcorum longe princeps . Quippe & Grajam & Romanam locutionem tam scite calluit , ut utram in cunis didicisset , dignosci facile non posset ; uti abunde testantur Historiæ Aristotelis *de Animalibus*, ac Theophrasti *de plantis* ab eo in Latium elegantissime translatæ : quod sane mirabile in tanta argumenti varietate , Latinique sermonis inopia . Sed occurrentes identidem scopulos superavit ingenii solertia, conflatis miro lepore ad analogiam vocabulis, quibus carebat Latium. Porro librum M. Tullii *de Senectute* tam scite Græce expressit, ut profecto cum eo de palma contendisse videatur. Eadem Turcarum immanitate patria ejectus est Joannes Argyropylus Byzantius , qui Florentiæ publice præfectus est erudiendæ juventuti . Eam scholam , ab Argyropylo desertam ac jam collabentem , instauravit Demetrius Chalcondylas. Quem excepit Marcus Musurus Cretensis, qui Patavii Græcos auctores interpretatus est , insignis Grammaticus , ac Poeta præstantissimus . Joannes item Lascares, Græcorum qui Othomannicis armis patria pulsi sunt, generis nobilitate clarissimus ; qui bis a Laurentio Mediceo , magno illo litterarum fautore atque parente , ad Bajazethem Byzantium missus est, ut Græcos codices omnibus latebris extractos , & quantivis coemtos, in Italiam exportaret . Eodem tempore floruit Michael Apostolius Byzantius , qui Græcorum proverbia collegit , itemque gnomas & apophthegmata ; nec non Emmanuel Moscopulus : ex quibus quatuor Græcæ linguæ præcepta conscripsere , Chrysoloras , Gaza , Lascares , Moscopulus. Nam Maximus Planudes , qui Cæsarem *de Bello Gallico* Græce vertisse creditur, aliquanto fuit superior ; cum circa annum MCCCLXX. floruerit, suasque ediderit *Institutiones*.

Hisce magistris initiisque res litteraria radices agere cœpit

in

in Italia. Quemadmodum enim campi cultu atque irrigatione ceſſante ſterileſcunt, fœdoque aſpectu ſquallent; illis autem revocatis, pullulant denuo ac revireſcunt: haud aliter Italia, quæ ob barbarorum irruptiones intermiſſo litterarum cultu exaruerat, Græcis fontibus irrigata, Græcorumque ſtudiorum calore tepefacta, cœpit frondeſcere; ipſæque diſciplinæ liberales, quæ in cœno ac ſordibus jacuerant, oculos attollere cœperunt, & in cælum reſpicere, manum porrigentibus præſtantiſſimis illis litterarum patronis atque fautoribus, Nicolao Quinto Pontifice ſummo, & Coſmo Mediceo: quorum ille Græcos etiam codices ad tria millia in Vaticanam Bibliothecam intulit, Græcia exportatos. Horum ope & auxilio ea brevi incrementa fecere ſcientiæ ac diſciplinæ, eoque clarorum virorum proventu floruit Italia; ut ſæculum illud doctorum hominum conſenſu ***aureum*** appellari meruerit. Tum primum eruditæ antiquitatis amor mortalium animis inſedit, unde orta eſt Critice; quam animam ſapientiæ merito dixerim, ſtudiorum facem, ac veritatis altricem: qua ſine caligant omnia, atra nube denſiſque tenebris obducta. Tum primum Latini ſermonis virtus ac ſplendor humanos perſtrinxit oculos: & qui antea barbarorum fæce pollutus, nativum illum colorem amiſerat, priſtinam cœpit faciem oſtendere, nitidumque cultum, ac veterem decorem dignitatemque recuperavit. Neque hæc tantummodo inde emerſere; verum & illæ Græciæ artes civili cultui tantopere neceſſariæ, Tectonice, ſive Architectura, Pictura, atque Ars ſtatuaria. Allexerant namque hominum ingenia, & induſtriam acuerant mirabiles illæ Græcæ ſtatuæ, quæ vel Romæ adhuc ſupererant veteris majeſtatis reliquiæ, vel e Græcia exportandas curaverant ſummi illi viri Coſmus & Laurentius Medicei; qui erudiendis mortalium animis, ornandæ patriæ, ac diſciplinis liberalibus reſtituendis, immenſam pecuniæ vim liberaliſſime inſumſere. In Gallias, utpote finitimas, ſtatim irrepſere Græcæ litteræ. Nam Gregorius Tiphernas, e Chryſoloræ ſchola profectus, omnium primus Lutetiæ Pariſiorum ſumma cum laude eas

publice professus est. Nec multo post in Hispaniam nostram pervolarunt: sed pervolarunt tantum, nec diu constitere.

Hæc eo commemoravi, Hispana Juventus, ut ne nesciretis, quantum afferant momenti ad scientias rite adipiscendas Græca studia. Monet Quintilianus, ut pueri a Græco sermone potius litterarum initia auspicentur, quam a Latino. Rationemque subjungit: Quia disciplinis Græcis prius instituendi sunt, unde & nostræ fluxerunt. Et certe Ciceronis ætate lingua Græca, antequam Latina, erudiebantur; ut priscis temporibus Etrusca: propterea quod illa, auguralis disciplina, ritus fere Deorum ac cæremoniæ, haruspicini ac fulgurales libri, magna denique pars Romanæ πολιτείας in ritualibus Etruscorum continerentur.

Utar denique in vos adhortando iis ipsis verbis, quibus usus est Tullius ad Marcum filium: *Ut ipse ad meam utilitatem semper cum Græcis Latina conjunxi; neque id in Philosophia solum, sed etiam in dicendi exercitatione feci: idem tibi censeo faciendum, ut par sis in utriusque orationis facultate. Quam quidem ad rem, nos (ut videmur) magnum attulimus adjumentum hominibus nostris: ut non modo Græcarum litterarum rudes, sed etiam docti, aliquantum se arbitrantur adeptos, & ad dicendum, & ad judicandum.*

Ad illam igitur omnis venustatis, leporis, jucunditatis, eruditionis, elegantiæ parentem animos intendite. Quod si obtinuero, profecto mihi videbor mortalium omnium felicissimus, qui tam bene operam nostram locaverim. Vos autem exteris nationibus ostendetis, non naturæ vitio, ingenii hebetudine, aut laboris detrectatione ab iis studiis abstinuisse; sed fato quodam gentis, & injuria temporum. Quæ in posterum fore lætiora, non tantum confido, sed & præsagio. Valete. Mantuæ novæ in Carpetanis, Nonis Septembris an. MDCCV.

EMMANUEL MARTINUS

Alonenſis Decanus

LECTURIS SALUTEM.

EN, amice Lector, novum quoddam & inexpectatum φαινόμενον; non tamen ex eorum genere, quæ ingentium calamitatum prænuncia mortalium animos terrere ſolent, atque concutere: ſed eorum, quæ jucundo ſplendore voluptatem potius afferunt atque oblectationem. Rem totam paucis abſolvam. Da operam. Cum ab hinc quinquennium Valentiæ Hedetanorum agerem, ac Joſephi Caſtelvinii, Marchionis Villatorcani, bibliothecam paulo diligentius luſtrarem, cum animi cauſſa, tum ut codices acervatim ac temere in pluteos conjectos, in certas claſſes aptumque ordinem redigerem (nam Caſtelvinius penum illam librariam, in Portu Magonis Balearico ab ſe coemtam, nuper advexerat, cum e provincia diſcederet, quam fere per ſeptennium cum imperio rexerat) dum eximias illas Minervæ opes contemplor; oculorum obtutum in codicem quemdam defixi, qui viſus mihi eſt antiquitatem quamdam præ ſe ferre. Erat enim compactus tabellis quibuſdam aluta obductis; quod ſolenne priſcis bibliopegis. Novitate illectus, ſtatim ſcalas admoveri juſſi: iiſque conſcenſis, in codicem incidi carmina ac poemata varia continentem, auctore Ferdinando Ruizio Villegate. Pupugit me altius novi hominis nomen ignotum, nec ullis adhuc famæ imaginibus nobilis; multoque vehementius, ubi aliquot verſibus perlectis, mirabilem in iis nitorem deprehendi, cum nativa quadam facilitate, ac poetico æſtu. Sed de his alias. Igitur cupido omnes invaſerat, ignotum hominem ex oblivionis tenebris eruendi. Quare rimari omnia; obvios quoſque de illo percontari; Nicolai Antonii Hiſpanam Bibliothecam evolvere; Ludovici Vivis (quem præceptorem habuit) Budæi, aliorumque, quos inter

ami-

amicos recenset, scripta consulere. Tandem Burgos, ejus patriam, accuratissimas litteras scribere; ut si qua in domesticis monumentis de eximio hoc poeta vel legissent, vel fando audivissent, ea nobis minime inviderent. Sed omnia nequicquam; incredibilis enim oblivio tanti viri memoriam deleverat (Fati contumeliam!) Quamobrem in eas angustias devenimus, ut nitidissimi poetæ memoriam, alioqui funditus oblitteratam, ex ipsiusmet scriptis cogamur eruere.

Natus igitur est Ferdinandus Ruizius Villegas Burgis in Hispania. Ipse in quodam disticho:

Burgensis vitam præstet mihi patria, bustum
Præbeat ignota vel niger Indus humo.

In lucem editus est III. Nonas Aprilis; quod ipse memoriæ prodidit in carmine *De die natali*, iis versibus:

Nunc ego crediderim Veneri accubuisse Gradivum,
Et posita amplexus casside ferre Deæ.
Nuper abit, mensemque suum secum abstulit ille,
Vulcano ut melius sic, puto, verba daret.
Tertia lux hæc est Martis contermina mensi:
Ah! sine Marte Venus tres sit amante dies.
Adde quod est Veneri mensisque diesque sacratus,
Atque aperit veris dives Aprilis opes.

Fuit patricia familia, multisque majorum imaginibus clara; ut idem prodit in eodem carmine:

Sparge rosas, & funde merum, multisque penates
Floribus, & fictos stipite sparge lares.
Stipite crediderim fictos, quos Troius heros
Eripuit patriis urbe cadente rogis.
Ista pium atque gravem scimus coluisse Quirinum
Numina, & hæc eadem sacra fuisse Numæ.
Nos quoque ab innumeris proavisque, atavisque, penates
Quid mirum, & fictos stipite habere lares?
Qualescumque tamen; puer, eja age, sparge coronis.
Hæc coluit multus numina noster avus.
Hæc tutam tenuere domum tria sæcula nostram:

Et

Et teneant post hæc sæcula multa, precor.
Divitiæ periere quidem, princepsque potestas;
Sed Villegatum stirpsque decusque manet.

Et in *De Genethliaco ad VVilchium.*

Est illustre mihi, fateor, genus; attamen hoc sum
Culpandus, proavum ni sequar acta magis.

Recenset deinde majorum suorum egregia gesta ac facinora a Roderici clade, subjungitque:

Nam Villegates sedem hanc habuisse, minores
Unde decus summum nobilitatis habent.
His quoniam terris, atque his in montibus orti,
Bellando qui rem restituere, duces.

Descendit deinde ad Alphonsi, cognomento *sapientis*, tempora; ac utriusque stirpis, Villegatum nimirum, & Ruiziorum, gesta commemorat. De illis autem alibi etiam:

\- - - - - - *illustris numeret seu stemmata gentis,*
Et Villegatum longos ab origine patres.

Præturam gessit Burgis. *De Genethliaco ad VVilchium*:

Quare ego, amice, tuo vel motus carmine, vestram
Præturam cura cum meliore geram.

Texuerat enim VVilchius in Genethliaco Villegatis majorum seriem, eosque summis laudibus ornaverat, ut eum forte suorum æmulatione ad virtutem accenderet. In carmine etiam ad Gonzalum Illescam de Historia sua Pontificali, appellat se patricium Burgensem., & Prætoria dignitate illustrem. Rei familiaris angustia laborasse, ac pristinæ dignitatis splendorem amisisse, ipse indicat in Carmine *De die natali,* eo versu:

Divitiæ periere quidem, princepsque potestas:
Sed Villegatum stirpsque decusque manet.

Videtur etiam cum duriore fortuna conflictatus; ut ipse innuit Cybdelo-mastige, illis versibus:

Nec finit absentes mala nostra plangere, si sunt
Quos miseri moveant impia fata viri.

Ex quibus apparet malevolum hunc, quem Cybdeli no-

nomine maledictis proscindit, ejus infortuniis insultasse, famamque carpsisse. Quem iccirco Archilochio sale perfricat; ac diris & execrationibus devovet. Gravissimo morbo aliquando fuisse correptum, tradit ipse in elegia ad Virginem Matrem, cujus opem implorat. Morbi genus ipse prodidit hisce versibus:

Ad te confugio supplex; miserere jacentis
Diva tui famuli, quem premit atra lues.
Obruta ferali languet mea membra dolore,
Nec facit officium pes ve manus ve suum.

Miram in eo fuisse in pangendis versibus facilitatem, cum ex ipsis patet (non enim tam arte & labore constare videntur concinnarique, quam sponte sua ac naturali quadam facultate fundi atque fluere) tum ipse testatur in epigrammate quodam ad VVilchium; ibi:

Quod scribis nostris peccatum versibus; esse
Agnosco, & culpam, VVilchie, confiteor.
Vel quia stans uno centum pede carmina scripsi,
Et tot scribendis versibus hora fuit:
Vel quod & hæc fuerit male libera, nempe rogatis
Bissenis etiam testibus atque tribus.
Adde quod a multis numeros oblita diebus,
Musa per insuetum non bene currit iter.
Acceleransque, manum vix primam passa, relicto
Auctori nullo carmine, stulta abiit.
Quo fit ut excuses merito me. Quare age, nostros
Aut dele, aut versus corrige, vel patere:
Me tamen excusa. Nisi sim culpabilis, una
Quod scribo, & testes pergo rogare die.

Vides eum, dum munus prætorium obiret, una testes ad tribunal stantes rogasse, eaque carmina fudisse, quæ ad VVilchium miserat. Mariannam quandam a Lerma, civem suam, efflictim deperiit. A qua, tamquam a principio omnium auspicatissimo, opus suum orditur. Ecloga scilicet principe, quam *Mariannæ* nomine inscripsit. Eamque in scriptorum suorum limine affigi voluit;

tamquam

tamquam famæ ſuæ tutelam atque præſidium. Nihil tam auctoris noſtri ingenium exercuit, quam Marianna. Tabeſcebat miſer, atque omnes curas, cogitationes, æſtus, omnes denique ægritudines verſibus mandabat; atque (ut ita dicam) Mariannæ foribus appendebat. Extant enim ad eam inſcripta ſex & viginti epigrammata. Tandem caſtiſſimæ ac nobiliſſimæ virginis amori ſuccumbens, eam duxit uxorem, veluti ab aris ac pulvinaribus detractus. Semper enim in votis habuerat ſacris initiari, iiſdemque addici. Eoque Eccleſiaſtico cenſu fruebatur, quem ſponte dimiſit, ut forma potiretur tantopere concupita. Sed malis avibus id factum, ac δυσοιωνίστως. Siquidem jucundiſſimum illud ſibi caput Mariannam paulo poſt extulit, repentina morte extinctam: quique nuper laureatus epithalamium cecinerat, lautoſque pueros genialem facem lucere viderat, & præcinentes tibicines; mox veſpillonibus ac præfica accitis, foribuſque cupreſſo funeſtis, epitaphium conſcribere coactus eſt: quod habetur in extremo libro.

In diſciplinis apiſcendis magiſtro uſus eſt ſummo illo viro Ludovico Vive, cujus mortem acerbiſſime deflet Ecloga ſecunda, cui titulus *Vives*. In ea enim legitur:

Aut mihi ſi celebrare datum per rura magiſtrum eſt.

Quod etiam repetit in ſepulcrali ejuſdem elogio, hiſce verbis:

Vives ille meus magiſter, ille
Magnus, ſæcula priſca quem timebant.

Hujus elegiæ meminit Nicolaus Antonius Hiſpalenſis tomo II. Bibliothecæ novæ Hiſpanæ pag. 214. hiſce verbis: Rodericus Ferdinandez *de Villegas ſcripſit Eclogam in obitu Ludovici Vivis, ad D. Menciam, Calabriæ & Tenetti Duciſſam ſive Principiſſam, quæ olim fuit in Bibliotheca Antonii Auguſtini Tarraconenſis Præſulis cod. CCCLIII.* Unde apparet, quam obſcura fuerit adhuc præclariſſimi hujus viri memoria.

Guillelmum Budæum inter præcipuos amicos habuiſſe videtur, cujus manibus parentat Ecloga V. cui titulus *Budæus*, nitidiſſime me hercules atque elegantiſſime ſcripta.

E Inter

Inter amicos etiam recenſet Antonium de Fonſeca Pompejopolitanum Epiſcopum , cui carmen quoddam , ſive SERMONEM προσφωνεῖ de urbe Pompejopoli. Joannem itidem de Peſquéra , cui ſermonem alium dicat cum hoc elogio :

Peſquera , egregium Phœbi decus , Aonidumque ,
Præſidiumque ingens , cultæ & tutela Minervæ .

Necnon Antonium Valdelomarum , cujus etiam nomen carmini cuidam præfigit , hiſque verſibus ornat:

Valdelomare novem Muſarum gloria , fontis
Bellerophontei cui labra impleſſe liquore
Contigit haud tantum , & bijugum ſuperaſſe cacumen.

Gundiſalvum Illeſcam, auctorem *Hiſtoriæ Pontificalis* Hiſpanico ſermone conſcriptæ , ſummis laudibus ornat , ob præclariſſimi operis dignitatem atque amplitudinem , dictioniſque elegantiam ; illiuſque facultatem in ſcribendò Græce & Latine valde commendat . Familiariter quoque uſus eſt Salcedo quodam eximio poeta ; quod ipſe prodidit in quodam epigrammate, hiſce verſibus:

o veteres inter numerande poetas ,
Et nulli vatum vates ceſſure priorum .

Maxima quoque illi interceſſit neceſſitudo cum Joanne Verzoſa , cui epigramma inſcripſit, in quo miris laudibus extollit opus quoddam poeticum , quod ille tunc pangebat. Aloyſiam Sigeam rebus humanis defunctam lacrymis proſequitur, mœſtiſſimo quidem epigrammate , ſed elegantiſſimo ; ubi eam appellat Hebraicæ , Græcæ , Latinæque linguæ peritam:

Illa Palæſtine , Græce , Latieque perita ,
Quam decimam Muſis addidit Heſperia .

Et in alio epigrammate :

Phœbus Idumæa , Latia , Græcaque loquela , &c.

Et in ejus epitaphio a ſe ſcripto, addit linguam Arabicam, ubi ait :

Quam docti ſtupuere viri , quam maxima Roma ,
Quam Græci , & Solymi , quamque peruſti Arabes .

Quan-

Quando autem in clarissimæ hujus feminæ mentionem incidimus ; temperare mihi vix possum , quin eorum manibus mala precer , qui castissimum illud caput , pudore ac verecundia insigne , dignum judicarunt cui infamem illam turpissimæ obscœnitatis notam inurerent , impurissima illa Satyra vere Sotadica , ac Dialogis flagitiosissima libidine execrandis , qui ejus nomine circumferuntur . Doli artifex Janus Meursius , qui improbo ac petulanti consilio Hispanæ virgini propudiosum illud opus impegit , quod vel Philenis ipsa erubesceret , vel Elephantis . Hominis os ! Eadem insolentia grassans est impurissimus nebulo in famam & existimationem Ludovici Vivis hominis sanctissimi ; spurcissimam fabellam commentus , qua tanti viri memoriam , incredibili mendacio , apud posteros deturparet : cui diligentius recitandæ totum impendit Dialogum VIII. Satiræ suæ Sotadicæ , impudentior cane catulliente. Sed mali corvi malum ovum . Nunc a diverticulo in viam . Habuit etiam Ferdinandus noster inter amicos P. quemdam Beneventum Pompejopolitanum , quem poeticæ facultatis nomine sæpe laudat , variis ad illum inscriptis epigrammatis . Andream item de Cardenas , quem in ejus epitaphio a se exarato sic appellat:

Phœbi clarum jubar , una sororu m
Gloria .

Nec videtur Erasmo fuisse ignotus , cui non unum scripsit carmen sepulcrale , cum versibus hendecasyllabis , tum elegiacis . Hæc sunt quæ ex auctoris scriptis expiscari potuimus ad ejus vitam concinnandam ; quandoquidem illum , ex oblivionis tenebris extractum ac redivivum , nunc primum vitali luce perfundimus . Festinemus ad alia . Habes , candide lector , poetam nitidum , venustum, elegantem . Mira in eo facilitas cum felicitate conjuncta: præsertim in epicis ac bucolicis . Quid enim elegantius poemate *De nuptiis Philippi , & Isabellæ ?* cujus postremus liber est de taurorum ludicro spectaculo , cannarumque lusu , in quo summus poeta omnes ingenii sui vires

exeruit . Mirabile in eo artificium . Per deorum namque ministeria , & divini furoris imagines , res alioqui difficiles ac perplexas , mira dexteritate extricat atque expedit . Quid Theocriticam simplicitatem magis referat , ac Virgilianam suavitatem , quam auctoris nostri Eclogæ ? Inter quas equidem illam censeo facile principem, quæ inscribitur CIVICE . Est enim plena pastoriciæ simplicitatis , miræque varietatis : affectibus præterea maxime turget . De utroque igitur genere ita sentio ; nihil esse prorsus , quod magis referat divinum illud Maronis ἀρχέτυπον . Ita enim exprimit imaginem prisci ævi, ut nisi argumentum & auctoris nomen prohiberent, sæculi Augustei prolem judicarem . Dictio in iis pura , elegans , castigata ; numeri sonori , teretes ; sententiæ perspicuæ , novæ , vividæ , torosæ ; inventio mirabilis . Fluit sane grandiloquus sine tumore , elatus sine fastu , sine abjectione verecundus, diligens sine morosa περιεργίᾳ. Nec tamen dissimulabo , quædam occurrere apud illum hyperbata, quæ legentis impetum remorantur , quo sine, nihil esset hoc opere perfectius . SPHÆRA MUNDI duriuscula est, & longis amfractibus salebrosa. Quo itidem vitio laborant ÆSOPI FABELLÆ . CYBDELOMASTIX poemation esset nec illepidum nec injucundum , nisi eruditionis ostentandæ studio dum omnia verrit convasatque, moderationis finibus excessisset . Quicquid enim ubique gentium accidit infortunii , tam apud Græcos , quam apud Latinos , illo arcessit , diris & execrationibus suis concinnandis . Quo fit , ut legentis animus , immensa illa historiarum congerie obrutus , nec ulla recreatus varietate , fastidio legendi deficiat penitus ac satiscat . SERMONES ad Horatianum characterem propius accedunt ; dummodo sententiæ nervos feliciter exprimat ac Romane , ut ut verba cadant , susque deque habet . Structuræ nitori unice studet , ac proprietati ; numeros sonoremque contemnit : satis illi visum , si verba ad metri leges trahantur , etsi non fluant . Itaque in iis

le-

legendis cespitabis potius, quam curres. Pleni autem sunt optimis præceptis & sapientiæ succo, moribusque vel formandis vel emendandis, oppido quam aptissimi. EXULTATIO; ob navalem victoriam ad Naupactum, poemation quidem est aridum & exsangue. Crediderim illud, in primo animi exultantis ardore ac lætitiæ motu, effudisse potius quam lucubrasse. In reliqua variorum epigrammatum congerie, quam vocat FARRAGINEM, multa reperies summa elegantia ac venustate; nonnulla autem, quæ forte expectationi tuæ minime respondeant. Equidem existimo, auctorem nostrum, quæcumque ab adolescentia usquam umquamve panxisset, in hunc librum conjecisse; non tam ut luci publicæ committeret, quam ut se penes, in unum collecta volumen, tutius cautiusque servaret. Itaque ego, nisi religione impedirer, facerem quod diligentes pastores solent, quum oves rejiculas a sano ac valente grege dispescunt, atque abjiciunt. Sed quas in me cojicerent tragulas morosi isti hypercritici? Itaque de hoc volumine quicquam detrahere religioni duximus. Ea tantum præmonere visum, quæ ad lectorem instruendum, officiique nostri rationem pertinere arbitratus sum.

Auctori, qui superiore sæculo vixit, explanationes annotationesve appingere, nonnihil habere mihi visum est levitatis, ne dicam putidiusculi ac futilis. Quare auctoris nudum exemplar orbi litterario proponimus: paucissimis admodum exceptis, iisque levissimis, quæ rei dilucidandæ adjecta sunt. Unum est, in quo nec operæ nec studio peperci; in restituendo scilicet exemplari, quod librarii inscitia mendis adeo scatebat, ut majorem ego molestiam in eo emendando subierim, quam Hercules in Augiæ stabulo repurgando. Num ea diligentia aliquid præstiterim, scires profecto, si volumen ipsum manu exaratum tractasses. Nec tamen ea sum confidentia, ut mihi persuadeam omnes meas lectiones

esse

esse ἀληθεστέρας τῶν Σιβύλλης καὶ Βάκιδος. Cui enim tam defæcati sunt oculi, quibus non aliquæ adhæreant Saturniæ lemæ? Non mea sponte hanc provinciam suscepi, sed adigente viro gravissimo, mihique omnibus officiis conjunctissimo, Jano Basilio Castelvinio, Prætore urbano, Musarum ocello; cui omne studium omnemque operam navare, per mihi honestum visum est, arctissimæque amicitiæ legibus maxime consentaneum; cuique poeseos studiosi maximas gratias referre debent, quod eo annitente atque allaborante, immo auctore, elegantissimi poetæ carminibus frui licet, qui uni illi suam debet ἀνάστασιν. Labore igitur ac diligentia nostra, quali quali, fruere lector, & vale. Mantuæ novæ in Carpetanis, pridie Kal. Septembris anni MDCCV.



EXCELLENTISSIMO VIRO

J. BASILIO CASTELVINIO

COMITI A CERVELLONE, MARCHIONI VILLAFORCARUM,
HISPANIÆ MAGNATI, IN SUPREMO HISPANICO SENATU
CONSILIARIO, NOBILIQ; IMPERATORIS CUBICULARIO

BERNARDUS ANDREAS LAMA

S. P. D.

NOn ſolum ut juſſis tuis obtemperarem, Vir Excellentiſſime, quæ ſemper magno apud me in pretio fuerunt, verum etiam mea ſponte adductus aliquid operæ contuli ad politiſſimi poetæ Ferdinandi Ruizii Villegatis emendationem, cui certe parem alium Hiſpania non tulit. Ægre enim mihi erat, tantum ſcriptorem, qui poſſet augere illorum numerum, qui aureo reviviſcentium litterarum ſæculo floruerunt, adhuc in ſchedis jacere non paucis etiamnum mendis deformatum. Eoque magis angebar, quod jam omnes prope Europæ gentes non ſolum in ſeverioribus diſciplinis, verum etiam in amœnioribus ſcientiis, velut in Hiſtoria, Philologia, ac Latina poeſi, clarum aliquem & admiratione dignum ſcriptorem e ſuo ſinu natum prædicarent. Videbatur autem Hiſpaniæ adhuc deeſſe poeſeos gloria, quum in aliis eloquentiæ partibus multos protuliſſet, qui magnum ſibi nomen apud ſuos exteroſque paraverant. At non eo quidem honore carebat, quippe quæ Ferdinandum Ruizium ceteris aliis nullo pacto inferiorem peperiſſet. At ille in tenebris, neſcio quo fato, deliteſcebat. Ubi primum vero in tuas venit manus, vinculis exſolutus eſt, & in libertatem aſſertus. Sed non ante pileo donare poterat, & in publicam lucem emittere (neque porro aliter par eſſe videbatur) quam ſqualor ac ſordes, quibus fœde obſitus erat, abluerentur, & ægro ac languenti corpori priſtina redde-

retur

retur valetudo , quam illi priorum dominorum incuria , & librariorum inſcitia ademerat.

Admoverat quidem medicam manum vir ſingulari doctrina atque ingenio præditus Emmanuel Martinus , nec parvum exhauſerat laborem tot ſanandis vulneribus, quibus ægrum illud corpus prope confectum videbatur: ſed quum aliis multis, nec iis quidem exiguis, occupationibus diſtineretur , non potuit opus abſolvere . Id vero in cauſſa fuit , cur tam ingenioſi ſcriptoris opera tam fœde ad nos accepta pervenerint , quod nimirum compluſcula ipſe , quum ſubitus calor incidiſſet , libellis illinebat alio & commodiori tempore expoliturus ; quam rem deinde & vitæ civilis munia , & maturior mors , quæ illum intercepit, præpedivere . Poſt inde vero & hæc opuſcula, quæ tantum informaverat , & ea quæ tenuiore lima perpoliverat , quum innumerabilibus lituris eſſent commaculata , exſcribentium incuria & ignorantia , magis magiſque vitiata ſunt . Nunc autem , niſi me fallit animus , omnia videntur ſuo nitori reſtituta ; non ei profecto , quem auctor ipſe ſuo dediſſet operi , niſi præceleri fato , magnoque cum litterarum detrimento fuiſſet e vivis ereptus.

Habes nunc igitur , Vir Excellentiſſime , Ferdinandum Ruizium , quoad ejus fieri potuit , ſanum , integrum , ac bene valentem , qui jam poſſit in publica luce verſari: qua de cauſſa tibi multum debebit Hiſpania ob renovatam ejus gentis in doctrinis gloriam ; multum debebit literatus orbis , quod ejus opus nova acceſſione locupletaris . O utinam velles huic felicitati cumulum addere , doctiſſimos tuos commentarios edendo in Julii Cæſaris opera , quæ in Hiſpanicum ſermonem tuæ gentis utilitati ſerviens tranſtuliſti , & eruditiſſimis adnotationibus explanaſti : omne enim tuum ſtudium , opera , induſtria , quum aliquid tibi laxamenti datur , in reconditis atque interioribus litteris conſumitur; quarum ob ſcientiam mirifice

gratus ,

gratus, ac jucundus es Augustissimo Cæsari, qui, quum ipse sit omnibus disciplinis mirum in modum instructus, non modo illas studiosissime colit ac fovet, verum etiam illarum cultores omni benevolentia, ac liberalitate complectitur; ita ut rectissime in illum congruat elogium, quo Theocritus Ptolemæum Philadelphum potentissimum Ægypti regem idyllio 14. concelebrat,.

Εὐγνώμων, φιλόμουσος, ἐρωτικὸς, εἰς ἄκρον ἁδύς·
Εἰδὼς τὸν φιλέοντα, τὸν οὐ φιλέοντ' ἔτι μᾶλλον·
Πολλοῖς πολλὰ διδοὺς· αἰτεύμενος, οὐκ ἀνανεύων·
Οἷα χρὴ βασιλῆ' &c.

hoc est

Benignus, Musarum studiosus, amabilis, summe jucundus;
Qui novit amicum, inimicum vero etiam magis;
Multis multa largiens; rogatus, non abnuens
Ut regem decet. &c.

Tametsi autem gravissimæ curæ, ac negotia Hispanici Senatus, in quo Consiliarii munus exsequeris, & Italicis regnis, quæ Austriacæ ditionis sunt, consulendum est, non exiguam studiorum tuorum partem absumant; quin etiam alterius muneris functio, nobilis nempe apud Cæsarem cubicularii, non parum temporis auferat; quum tuam tamen mentis sollertiam, ingenii perspicaciam, cogitationis celeritatem expendo, nihil illa omnia mihi obstare videntur, quo minus incœpto operi extremam manum possis imponere. Neque enim tibi tantum spatii opus est ad rem omnibus numeris absolvendam, quantum alii cuipiam, qui talibus in studiis hospes sit. In illa igitur, quæ tibi identidem dabitur, vel brevissima quietis intercapedine, & consuetorum laborum intermissione, quam tu ad renovandam cultiorum doctrinarum memoriam adhibere soles, facillimo negotio poteris susceptum opus persequi, & bono publico effectum dare. Id quidem ego non diu posthac eventurum arbitror, atque ea spes animum meum alit, ac sustentat, quum brevi sperem me tam multiplici, atque eximio scientiæ

thesauro fruiturum . Nihil enim in tuis commentariis commune , nihil vulgare , nihil pervagatum , sed prope omnia nova , tuoque ingenio digna : quippe ubi multa, & egregia insunt priscæ eruditionis monumenta , quæ illis etiam admirationem pariant , qui in hujusmodi studiis subacti , atque exercitati sunt . Præcurret interea Ferdinandus Ruizius Villegas, Hispanicæ nationis in Latina poesi decus , atque ornamentum , tua opera e tenebris atque oblivione in lucem revocatus ; qui tibi quidem incitamento esse debet , ut tuum opus ad patriæ honorem, & communem omnium gentium utilitatem primo quoque tempore in publicum prodire patiaris . Ceterum vale , vir excellentissime , teque litterarum amantibus diu incolumem serva . D. Vindobonæ VI. Kal. Febr. anno a partu Virginis MDCCXXXIV.



TYPOGRAPHUS LECTURO
S. D.

FErdinandi Ruizii Villegatis opera, non eſt cur longa oratione tibi commendata velimus; nec multis te morabor de noſtro Auctore diſputando; deque ipſius codicis inventione diſſerendo: Utrumque debemus Emmanueli Martino Alonenſi Decano, viro de re litteraria apprime benemerito, qui Villegatis vitam, ejuſque operum judicium, in epiſtolis limini affixis, mirifice pertractavit; & improbo labore, exemplar adeo emendavit, ut jure diceres eum in integrum reſtituiſſe. Æquali ſtudio, parique felicitate, ipſius veſtigia perſecutus, Bernardus Lama, qui amœniores has litteras impenſiſſime colit, ſemel atque iterum eamdem meſſem cribravit: quam tibi purgatam, puram, defæcatam libentiſſime damus, juriſque publici facimus. Unumque mihi ſupereſt, quod ſponte præſtabo: gratum ſcilicet, nullo non loco, nullo non tempore, me exhibere Excellentiſſimo Viro J. Baſilio Caſtelvinio Hiſpaniarum Magnati, Cæſaris nobili Cubiculario, ejuſque a conſiliis, qui, ea ſua comitate, & litterarum amore, quibus eruditos omnes fovet, amplexaturque, ea quidem me ſuſcepit, cum nuper Vindobonam Auſtriæ adiiſſem, mihique oſtendit Villegatis codicem, depravatum quidem, ſed quamdam antiquitatem præ ſe ferentem, quem penes ſe ſemper habuit, ſuarum peregrinationum fidiſſimum comitem: alterum mihi commiſit emendatum, correctum, nitidiſſime tranſcriptum, ut in lucem ederem. En eum, amice Lector, quantum ex me fuit, pulchre decoratum, ornatum ſine fuco. Sed his non immoror: res ipſa loquitur. Vale, & fruere.

NOI RIFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. F. Tommaso Maria Gennari Inquisitore nel Libro intitolato: *D. Ferdinandi Villegatis Bucolica*, non vi essere cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi e buoni costumi: concediamo Licenza a *Giambatista Albrizzi q. Girol. Stampatore*, che possa essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia e di Padova.

Dat. li 2. Gennajo 1733.

(
(Andrea Soranzo Proc. Rif.
(Pietro Grimani Cav. Proc. Rif.

Agostino Gadaldini Segr.

D. FERDINANDI VILLEGATIS

B U C O L I C A.

E C L O G A P R I M A.

M A R I A N N A.

Euzonus, Aphthonus, Philomusus.

Euz. APhthone, paſtores (verum ſi dixit Iolas)
Eumorphum tremulis doctum deducere cannis
Carmen, & inſignem Philomuſum Palladis arte,
Audiſti cantu certantes. Si vacat (en nos
Non procul ad frigus patulis vocat optima ramis
Quercus) paſcentes dum ſervat Tytirus agnos,
Sub placida recubans umbra modulabere verſus;
Seu quos Eumorphus, ſeu quos Philomuſus agebat.
Aph. Quodcunque optabis, noſtrum eſt parere, jubeto;
Sive ſub umbroſa placeat requieſcere quercu,
Sive libet potius ripæ ſuccedere; tauros
Hac aget ad potum Lycabas; coryloſque capellas
Carpentes, Euzone, procul ſpectare juvabit.
Eu. Te quoque diſparibus calamis certaſſe Menalcæ
Hac ſub valle, bonus Dorilo referebat Amyntas.
Aph. Quid facerèm? Anne puer nos ille impune laceſſat?
Quin potius victus (divini opus Alcimedontis)
Pocula bina dedit nobis, quæ candida Chloris
Nunc habet, illa licet peteret formoſus Alexis.
Eu. Montibus his Lycidas cedat tibi, cedat & Ægon.
Aph. Quid Satyrus Phœbo ſi cedat, Picaque Muſis?
Eu. Incipe: jam placidæ ſucceſſimus, Aphthone, ripæ.
Aſpice ut hic, vitreas fluvius dum devehit undas,
Murmuret, & grata ſpirare Favonius aura
Cœperit: has inter ſalices recubabimus ambo.

Has

Has ſalices Lycidas cecinit, Satyroſque ſequentes,
Has etiam magnus cantavit Tytirus olim.
Aph. Sylvicolæ Dryades (nam vos meminiſſe poteſtis)
Dicite quos verſus Philomuſus dixerit; & quos
Eumorphus, Thyrſo ſub judice, in ordine junxit.
Phi. Has inter ceraſos, hujus prope fluminis undas
Vidimus intactam Mariannam, vidimus; atque heu
Heu miſeri! fugiens, medio crudelis in igne
Nuda ſinus, laſciva oculos, me liquit amantem.
Eu. Montibus his primum mea Francia fœdera mecum
Junxit, & hac nobis dedit oſcula prima ſub ulmo.
Sed modo (ſive alios volvit male ſana furores,
Sive aliud) noſtros tamen eſt oblita dolores.
Phi. Pan pater, aut altis de montibus exere dona,
Queis ſævam placem Mariannam; munera ſeu ſi
Deſpicit, hac facito morituro in valle ſepulchrum
Et mortis cauſam tumulo ſuperaddito noſtro.
Eu. Pierides Nymphæ, ſacrum genus, aut mea noſtras
Francia non ſpernet flammas, revocetque petentem;
Aut ſi ſæva faces noſtras oblita recuſat;
Quærite, quæ noſtram extinguat medicina dolorem.
Phi. Placatur capro Bacchus, canibuſque Diana,
Tauro Neptunus, tauro Tyrinthius; & te,
Faune pater, teneræ perplacant exta capellæ.
Hei mihi, quod non eſt, quæ victima placet Amorem.
Eu. Magna Ceres gravidæ lenitur ſanguine porcæ,
Falcifer at pueris gaudet pater; Iſidis iræ
Anſere placantur, lentoque Priapus aſello:
Eumorphi ſola gaudet ſed Francia morte.
Phi. Dulce ſalix pecori eſt, ſitientibus unda capellis,
Atque ovibus corylus, teneris quoque floribus imber.
Sed ſi nos formoſa petat Marianna, vel unda,
Vel ſalice, & coryliſ erit, & mihi dulcior imbre.
Eu. Triſte gelu teneris uvis, & floribus Auſter,
Et Scyllæ rapidus Niſus, cerviſque moloſſi,
Sed me pulchra fugit ſi Francia; triſtior Auſtro,
Tri-

Triſtior & Niſo mihi ſit, ſævitſque moloſſis.
Phi. Quid prodeſt, violæ ſuaves, quid dulcia mella
Si ſint? quid flores? quid candida lilia? ſi ſit
Crudelis miſero Marianna, & triſtis amanti?
Tunc violæ, & flores, tunc ſint & triſtia mella.
Eu. Francia ſi nobis triſtis ſit; triſtia prata,
Triſte pecus, lac triſte mihi, triſteſque capellæ;
Et ſomnus triſtis, triſtis mea fiſtula, triſtis
Ipſe mihi, & vitæ longe triſtiſſimus uſus.
Phi. Miſimus heu quamvis gemina cum prole capellam,
Et catulum Mariannæ pictæ tigridis; at nos
Sæva facit tanti, quanti Jovis aliger æſtrum.
Illam vos, ſuperi, pro munere mittite nobis.
Eu. Nos quoque laſcivum leporem, geminoſque palumbos,
Et tibi ramoſi, mea Francia, cornua cervi
Miſimus: hæc olim meruerunt oſcula prima,
Sed modo, ſi venias, tibi jam majora dabuntur.
Phi. Fraxinus hæc, noſtros quamvis Marianna calores
Negligat; hæc, inquam, ſervabit fraxinus ignes.
Fraxinus his ſylvis pulcherrima, creſcite rami,
Creſcite, & inciſi mea nomina tollite trunci.
Eu. Hæc abies, atque illa ſalix, ceraſique Myconis;
Ipſa licet nolis, crudelis Francia, noſtros
Æternum referent ignes, & mixta per æthram
Nomina noſtra tuis tollent ad ſidera ſecum.
Aph. Hæc ſatis; Oceano nam mergitur æquore Phæbus:
Quæ reſtant alias meliora, Euzone, canemus.

FINIS.

ECLOGA SECUNDA.

VIVES.

EXtinctum Lycidas miserando funere Vivem
(Gloria pastorum Lycidas , & gentis Iberæ)
Flebat , & adversæ repetebant carmina sylvæ .
Vos mihi , vel Dryades , vel rustica numina Fauni ,
(Vos meministis enim) Juvenis memorate querelas ,
Commemorate pias lacrymas , renovate dolorem
Infandum ; nam vos fama est ad carmina mœstos
Adjunxisse sonos , tremulaque ululasse cicuta .
Cœpit , & undosæ requierunt murmura ripæ .
Quandoquidem , Musæ , lætum deducere carmen ,
Nec licet his posthac sylvis deponere luctum
Pastores , finemve aliquem sperare malorum ;
Plangite Thespiades mecum , renovate dolorem .
Plange , sacer collis , vosque o sanctissima ruris
Numina , sylvicolæ Fauni , Satyrique bicornes ,
Oreades , Dryadesque , & pastoralis Apollo ,
In lacrymas tumido dissolvite pectora fletu .
Pastorum sacri saltus , nemora ipsa , paterque
Pan nemorum , Panisque vagi per rura ministri ,
Pastores gemitu mœsto , tristique ululatu
In lacrymas properate meas , & jungite fletus
Fletibus , ut numquam cesset dolor improbus imo
Pectore , vel nostris oculis educere flumen .
Plangite, campestres fagi , loca sueta poetam
Audire , aut teneros ludentem carmine amores ,
Aut vitæ leges populos & jura docentem .
Plangite , & his ipsis saxis fata aspera mœstæ
Dicite , & in fluvios lacrymarum vertite cautes .
Vos quoque, deserti fontes, & flumina, quondam
Ad numeros facili lapsu consueta venire ,
Et vatem attonitis mirari læta sub undis ,

Seu

Seu caneret ſylvas calamis, ſeu caſtra tonaret,
Sive etiam antiquos exponeret ordine vates,
Aut noſtri vires animi, aut arcana doceret
Naturæ, linguæve decus, ſummaſque verendæ
Relligionis opes, noſtræ myſteria legis;
Veræ, inquam, & certæ legis, miracula mundo
Genti cuique ſuo de dogmate duceret; & rem
Conficeret varie, variis & gentibus unam:
Vertite lætitiam in planctum, mecumque dolete
Infandos patriæ caſus, lacrymoſaque fata.
Et tu, quæ tacitos ſylvarum occulta meatus
Echo mæſta colis; properare noviſſima verba
Deſine, & a primo lacrymas mæſtiſſima noſtras
Perpetuum repete, & mediis reſonantia ſylvis.
Verba ipſa, & lacrymas ipſas incidito truncis.
Plangite, deſertæ valles, atque omine mæſto
Pinge nigras violas, tellus, & lilia nigra.
Vives amor Phœbi, paſtorum gloria Vives,
Vives, quo vivente novem vixiſſe Camenæ,
Et moriente ſimul merito occubuiſſe poteſtis
Credi, ſublatus medio eſt in tempore vitæ.
Plangite, Theſpiades mecum, renovate dolorem.
Nulli per campos flores, & nulla vireſcat
Herba, nec in violis, aut in formoſo amarantho
Vividus ille color vigeat, nec fulgida virtus.
Marceſcant violæ, marceſcant luctu amaranthi.
Alma fides, & ſumma jacet facundia. Quis jam
Audeat hoc ſperare magis, laudemque mereri?
Plangite, Theſpiades mecum, renovate dolorem.
Heu heu! torrentur ſpinæ, paulumque moratæ
Dum renovant veteres vultus, vireſque reſumunt;
Ad primam redeunt formam, gaudentque renaſci.
At nos una ſemel poſtquam lux deficit, actum eſt.
Non venti, aut pluviæ, aut ſoles, nos reddere terris,
Non primum poterit ver, donec cuncta reſurgant
Corpora judicium ad ſummum Cœlive, Erebive.

Plangite, Thespiades mecum, renovate dolorem.
Et soles fugiunt terras, conduntque sepulcro
Occiduos radios, sed rursus sponte renati,
Inque statum revocant primum vitamque diemque.
Plangite, Thespiades mecum, renovate dolorem.
O ter, ter felicem Orpheum, cui fata dedere,
Securum ante obitum dominam ut deduceret Orco,
Ire lacus Stygios, quo nunc timor ultimus ire est.
Victus erat Rhadamantus atrox, & victa Megæra,
Ipse etiam in lacrymas motus rex dirus Averni.
Plangite, Thespiades mecum, renovate dolorem.
Quare ergo ad numeros curvæ tam mæsta cicutæ
Carmina, mi quare componere non licet, altos
Ut moveam divos? & Vivem reddere terris
Exorem? Quod si superis mea carmina nota
Non sunt, ut Getici vatis; miserabile fatum
At debet movisse deos, & reddere grata.
Plangite, Thespiades mecum, renovate dolorem.
Si tamen humanam divus jam ducere vitam
Spernat, & in terras mecum descendere nolit;
O, mihi si forsan reditum via clausa recuset!
Plangite, Thespiades mecum, renovate dolorem.
O tamen, o vana hæc mea vota! o tracta procellis
Mens! medicis herbis numquam, nec carmine possunt
Inverti decreta deum, & currentia fata.
Plangite, Thespiades mecum, renovate dolorem.
Esto possit ebur nitidum, si fabula non est,
Esto tamen possit, falsa sub imagine somni
Effigiemque viri, & vivas ostendere voces;
Non tamen illum ipsum sylvæ instaurare valebit,
Non pecori, & mæstis poterit pastoribus umquam
Reddere, nec cælo tam clarum tollere sidus:
Sidus, de cujus fulgebant lumine sylvæ,
Quo sine nunc cæcæ sylvæ, nunc frigida rura.
Plangite, Thespiades mecum, renovate dolorem.
Et tu fertilibus, pater optime Turia, ripis

Un-

Undique collectas ſacra in penetralia Nymphas
Coge tuas, lacrymiſque urnas effundere plenas
Pleno e fonte jube, ne jam ferat alveus amnem.
Tu roſeo curſu felicem interluis oram,
Surgit ubi partu fecunda Valentia Vivis:
Nunc obitu mæſto miſeranda Valentia Vivis.
Plangite, Theſpiades mecum, renovate dolorem.
Te tamen ille facit, toto ut notiſſimus orbe
Tantum alios inter tollas caput arduus amnes,
Quantum inter fragiles abies aut palma myricas.
Ergo pater, ſi te celebrant doctiſſima Vivis
Scripta, tuum vates celebret qui dignus alumnum
Da facilis, Vivemque ſonent nemora omnia circum,
Sit licet in ſylvis, ac uſque ad ſidera notus.
Plangite, Theſpiades mecum, renovate dolorem.
Aut mihi ſi celebrare datum per rura magiſtrum eſt,
Et ſatis ipſe licet Vivis ſit nomine clarus;
Attamen hoc ipſum nomen ſuper aſtra referre,
Da faciles verſus, & pondus habere cicutam.
Et mea ſint quamvis ſylveſtria carmina; ſed tu,
Tu tamen illa legi fac ſint ut digna, nec obſtet
Ruſticitas, quin grata dolor juſtiſſimus eſſe
Efficiat, pietaſque agreſtem temperet artem.
Non tamen ut chartis umquam ſint digna notari
Carmina, ſed maneant has inter ruſtica fagos,
Plena pii affectus tantum, quantum artis egena:
Hic ut pulchra viri ſylveſtribus edita truncis
Geſta legant alii paſtores, optima quondam
Hæc qui rura colent, moreſque, animumque verendum,
Eloquiumque grave, & ſummum virtutis amorem;
Et magis, atque magis creſcendo nomen in annos
Attollant ſylvæ memores, & Vivis honorem.
Gramina dum campos, dum ornabunt ſidera cælum,
Perpetuo ſervent inciſi nomina trunci.
Plangite, Theſpiades mecum, renovate dolorem.
Ipſæ tunc ſylvæ, volucreſque, feræque, homineſque,
Atque

Atque adeo ſuperique omnes, quibus optima curæ
Rura; pater Sylvanus, agri nemorumque magiſter;
Pan etiam cuſtos ovium, Satyrique bicornes,
Et Satyrum crudelis amor, non ultima Nymphæ
Numina, magnum illud nomen, dignumque beatis
Sedibus excelſo celebrabunt carmine, ne ſit
Notior in ſylvis Corydon, Daphniſve Menalcæ.
Plangite, Theſpiades mecum, renovate dolorem.
 Et quoniam graviore mihi libet ire cothurno,
Et triviale ſonans ad finem linquere carmen;
Plangite, Theſpiades mecum, renovate dolorem.
 Non facit ad noſtrum vilis jam fiſtula votum,
Obſcurumve ſonans & paſtorale cicuta;
Sed calami, quales Pan primus nuper in altis
Nonacriæ reperit ſylvis, quos æthere ab alto
Audiat, & placido collaudet ſidere Vives.
Plangite, Theſpiades mecum, renovate dolorem.
 Ille ſuos radios hucuſque extendat, & ille
Auxilium præſtet facilis; cælumque relinquens
Sæpe ſuum motus pietate inviſat amicum,
Dum loquor, & triſtis lacrymas effundere pergo:
Aut ſi forte viri ſors eſt, quam laudibus æquis
Tollere lingua minor nequeat; levet ipſe jacentem,
Excuſetque rudem calamum, & ſine pondere carmen,
Oſtendatque viam, noſtris ut verſibus olim
Rura per & ſylvas merita cum laude feratur.
Plangite, Theſpiades mecum, renovate dolorem.
 Verum & tempus erit, cum ſint in honore Camœnæ,
Atque hominum ex oculis cæcæ caliginis umbra
Pulſa procul; tunc parva animis depellere longe
Curandum, & magnas ad res intendere mentem,
Tunc ego noſtra ſatis (nam ſunt) male culta videri
Carmina poſſe reor; ſpero tamen affore ſylvis
Paſtores, qui inculta tamen laudanda putabunt:
Atque hodie multi qui ſunt ſine honore, videbunt
Tunc inſcripta roſis magna cum laude per agros,
Per-

Perque altas incisa legent sua nomina sylvas.
Plangite, Thespiades mecum, renovate dolorem.
Tunc liquidi fontes, & grato murmure rivi
Hæc, modo quæ canimus, repetent labentibus undis
Formosas inter viridanti gramine valles.
Tunc etiam Zephiris commota cacumina sylvæ
(Formosæ sylvæ, tibi quas nos sevimus) ipsis
Respondent ventis, vocemque per aera mittent.
Ponite, Thespiades, luctum; finite dolorem.
O fortunati nimium felicibus ausis
Pastores, tantæ moti qui laudis amore
Solvere sunt alas ausi, & se credere cælo!
Sit licet ignotum, quo tandem tempore habebunt
Nomen honoratum, aut aliqua cum laude legentur.
Tu tamen, o felix anima, & magni incola cæli,
Jam divum numerata choro, quæ numine dextro
Nos audis, superisque ipsis ostendis ab alto
Æthere: placato nostri leve pignus amoris
Sidere suscipies, mæstissima signa doloris,
Inferias tumulo saltem cinerique dicatas;
Et dabis, æterna ut laurus sub fronde sepulcrum
Hoc tegat, hæc inquam laurus tibi sacra, meosque
Incisos super astra ferat de cortice versus:
Ut quicumque tuos cineres visurus ab omni
Venerit orbe, meum commendet pastor amorem;
Et dicat: Lycidas, Lycidas hic funera Vivis
Flevit, & ingenti pietate secutus amicum est.
Interea grato circumsonet unda sepulcrum
Murmure, & excelsæ glomerentur manibus aræ;
Ingentes aræ, tibi queis sollemnia vota
Agricolæ faciant hilares, & pocula fundant
Lacte novo, & pingui spumantia pocula olivo.
Tunc, mihi si vitæ tantum concesserit ætas,
Aut superi dederint, merita ut te laude volentem
Tollere nec fatum, aut urgentia sidera mutent;
Efficiam, ne te memori mors eximat ævo,

Flu-

Flumina dum cycni, dum pontum flumina amabunt:
Hoc si nostra tamen promittere carmina possunt.
 Ille hæc: sed mæstæ flebant sub flumine Nymphæ;
Cogere donec oves puerum nox atra coegit.

F I N I S.



ECLOGA TERTIA.

CROTALE.

Melibaeus, Corydon.

Me. QUid, Corydon, patulæ ſolus prope frigora fagi,
Innixus cubito, capiti cervice repoſta,
Ingemis, & rapido modulantes ſole cicadas
Hæc inter dumeta miſer comitaris, & æſtus
Anguſtam pateris umbram vitare galeri?
Co. Ah Melibæe, meum flerent quæ carmina fatum
Hic mæſtus meditabar. Erit ſaliunca, vel illa
Cedrus erit teſtis, Crotale quum noſtra futuram
Se mihi jurabat comitem, ſive ipſe capellas
Servarem, teneris ſeu jungere vitibus ulmos
Gauderem potius, ſtudioque tenerer agelli;
Se tamen uſque ſuum Corydonem pulchra ferebat
Arſuram, ſibi nil præter Corydona placere:
Nunc tamen, o Melibæe, meos oblita dolores,
Neſcio quem ſequitur noſtris in montibus Idam.
Me. Hoc erat hoc, Corydon, ergo, quod nuper in horto
Vix bene maturos carpebat ab arbore fetus,
Caſtaneas ſeptas ſpinis, lanugine mala
Atque ſuis ramis innixa Cydonia, nec non
Citrea jam plenos onerantia mala caniſtros.
Mirabar, Crotale, pyra cui legerentur, & horti
Cui calathos cerafis ferrent pomaria plenos.
Scilicet hæc Idæ ſervabat munera. Sed tu
Quid meſtus retices, Corydon, intextaque nodo
Brachia ſtultus habes, oculos tellure moraris?
Invenies aliam, Crotale ſi ſpernat, amantem.
Co. O Melibæe, ſemel cum piſcis perbibit hamum,
Quum miſeræ pennas viſco intinxere volucres,
Haud facile eſt hamum piſces, viſcumque volucres
Effugere, aut rapidam ponto retinere carinam.

Sæpe

Sæpe ego, si (quæ nunc) mihi mens, Melibæe, fuisset;
Vidissem missis cælo me criminis hujus
Fulminibus tactas quercus, fremitusque leonum,
Et circum stabula hæc gemitus monuisse luporum.
Sed nunc heu nimium sero, Melibæe, videmus
Fallaces Crotales complexus, oscula ficta,
Oscula quæ iratum poterant domuisse Tonantem.
Me. Ergo age nunc, Corydon, quando hæc ficta oscula nosti
Quæ narras, Crotales nocituras pectore curas
Exue; jam spoliis victor lætabere ademptis.
Aut alios admitte ignes: nova cura levabit
Quod nunc vulnus alis lacrymis male sanus acerbum,
Et modo te clavum clavo pepulisse juvabit.
Atque age, dum Phœbus medio est altissimus orbe,
Qui referant veteres ignes, causasve malorum
Præsentes, tremula versus modulare cicuta.
Hæc nobis fagus dabit, aut hæc populus umbram:
Co. Imo hæc, quæ solus mæsta modo mente notabam,
Experiar, tamen hæc nil carmina dulce resultant.
Me. Non ego lacte novo nutriri dulcius agnos
Crediderim, nec apes succo, nec rore cicadas,
Quam lacrymis, questuque hominum mens ægra levatur;
Co. Ergo hæc nunc quocumque modo pro tempore dicam.
Forte dies, Melibæe, dabit, quæ læta canamus.
Has Corydon, Crotale, lacrymas, hæc tracta medullis
Imis nequicquam impendit suspiria: questus
Hos tibi pro violis, & pro formoso hyacintho
Mittimus: infelix quid enim tibi mittere majus
Ille tuus quondam Corydon nunc posset, avena
Postquam felices modulari destitit ignes?
Vos mihi pastorum, Dryades, quæ nostis amores,
Cunctaque ruralis Veneris secreta videtis,
Vos testes, primo quum me puer aliger igne
Ureret in Crotalem, semper dixisse: Manebit
Et Crotales Corydon, Corydonis & illa; nec unquam
Divisos Crotalen Corydonaque rura videbunt,
Dum

Dum fluvii liquidos fontes post terga relinquent.
Vertite jam, fluvii, cursus; & linquite pontum:
Ac retro in fontes labentia currite vestros,
Flumina: deseruit Crotale (quis credat?) amantem.
Crudelis Crotale! sine te nec lilia nobis,
Nec segetes, nec rura placent, nec roscida mella,
Nec gravidi pomis rami, vitesve racemis.
Sed si tu, Crotale, Corydonis, ut ante solebas,
Rura venis; placeat spinis paliurus amaris,
Et lolium infelix, sterilisque placebit avena.
Quem gemitus, nostræque preces, quem nostra movebunt
Vota? quis aut lacrymas miserabitur advena nostras;
Si te nulla tui Corydonis cura, nec ipse
Ipse movet Corydon, vili moribundus arena?
An ne ego se Hyrcanis dubitem de tigribus ortam?
An canibus natam Scyllæ? durisve Charybdis
In scopulis? an te Pœnos genuisse leones?
An dubitem duri pectus tibi marmoris esse?
Me ne fugis, Crotale, cui tu tam sæpe dedisti
Oscula cantanti? quem propter, rura placere
Et sylvas, simumque pecus jurare solebas?
Quin etiam occiduo vesper tibi gratus olympo
Mergebatur aquis, quod mecum sidera somnos
Suaderent placidæ sub tegmine carpere rupis.
Non illic lateri dubitasti jungere nostro
Ipsa latus, non rapta mihi mille oscula, mille
Sponte dare, & nostris recubare infusa lacertis.
Nescio quis superum tamen, o, male faustus, amores
Transtulit a nobis, jussitque relinquere nostram
Invidus has Crotalen sylvas, hæc rura Napæis
Cognita, dum festas ducebat pulchra choreas.
Nunc postquam Crotalen Idas habet, ultima rerum
Dum patitur Corydon; & rura reliquit Apollo,
Et quamquam sylvas Sylvanus condidit, ipse
Sponte tamen sylvas pater optimus, ipse reliquit.
Me. Quam resonant, Corydon, tua carmina dulce! Cicutam

Non Lycidas, Lycidas, inquam, modulabitur ipſe.
Alme, puer calamis cantuque eris alter ab illo.
Co. Non mihi tanta mei ſpes eſt, Melibæe, canorum
Ut Lycidam cantu calamiſve æquare laborem.
Ille fuit, Melibæe, maris qui primus ad undas
Luſit, & inſtabilem Proteum, Glaucumque biformem
Carmine lenivit. Nereus, Panopeque canenti,
Et Melite, & Galatea aſſultavere ſub undis:
Qui docuit primus numeros delphinas habere,
Immaneſque ſuo ſtupefecit carmine Phocas.

FINIS.



ECLOGA QUARTA.

PAN.

NUnc quoque, majori quamvis juvat ire cothurno,
Pergite, Pierides, quod adhuc triviale resultet,
Et sylvas & rura sonet, deducere carmen.
Nunc me vel fortes agere ad præsepia tauros,
Vel decet (in medio dum sol fervescit olympo)
Inter oves, humiles incidere cortice versus,
Dum nos sylva tenet, tenuis dum fistula carmen,
Horrificis impar bellis & Cæsare, dicet.
Tempus erit, quum nos egressi mentibus, ausi
Jam majora, duces & fortia bella canemus,
Materiamque dabis fecundam in carmina, Cæsar,
Cæsar Sithonio nunquam cessure Gradivo.
Interea multi quoniam tua dicere gesta
Qui cupient, tibi erunt, pulsosque expromere tota
Italia Gallos hostes, regemque ferocem
Vincula captivo subiisse Hispanica collo;
Aut canere Hungaria trepidum fugisse relicta
Regnatorem Asiæ, nec te veniente tulisse
Horrificam, armatam, regalis nominis umbram:
Vel Rhenum indomitum, vel pictis Saxonas armis,
Danubiumque, Albimque tuo cessisse subactos
Imperio, tumidasque gerentia tela per undas
Ora virum (visu horrendum) expavisse natantum;
Gueldrensemve ducem captum, flavosve Suevos,
Aut Libyam, Libyæve urbes, atque alta Goletæ
Regna, ubi præcelsæ fuerant Carthaginis arces,
Capta tibi, & rufo per vim prærepta tyranno.
Nec mundum domuisse satis: sed signa per orbes
Induxisse novos, quos nulla Erimanthidos ursæ
Astra vident, tardi nec sidera clara Bootæ;
Sed nostris adversa pedum vestigia firmant.

Ipse

Ipſe meas dum paſco boves, agreſtia dicam
Carmina, ſylvicolis gratiſſima carmina Muſis.
Forte puer Lycabas, puer & formoſus Amyntas
Pana deum Arcadiæ videre ad murmura ripæ
Captantem, quas ipſe ſua diſperſerat, umbras;
Criſtatum pinu, & calamos quos nuper in altis
Arcadiæ reperit ſylvis, de more gerentem.
Ille ubi paſtores contra videt: Ocyus, inquit,
Huc agite, o pueri; dabit hæc quoque tegmina vobis
Pinus, & hinc mecum, totis ſi montibus errent,
Proſpicere eſt armenta procul; nec parva paramus
Dicere, nec fruſtra: ſeptem compagine ceræ
Diſtinxi primus calamos, nec parva futura eſt
Gloria, diſparibus juncis audiſſe canentem
Pana, ſimulque deo jacuiſſe ad frigora pinus.
Hæc deus, atque ultro præbet venientibus umbram,
Et Nonacrina ſimul incipit ipſe cicuta.
Tum vero innumeros deſcendere monte videres
Admixtos ovibuſque lupos, damiſque leones,
Et Satyris Dryadas, ipſamque ad carmina ſylvam
Affixis capita alta tamen deducere truncis.
Tunc etiam volucres, immotis aere pennis,
Audito ſtupuere deo, Nymphæque morati
Fluminis attonitis aſſultavere ſub undis.
Namque canebat, uti faber ingenioſus olympi
Ex illo cæcoque chao, rerumque latenti
Congerie, in geminas partes diviſerit orbem;
Altera ut æthereas ſedes, manſuraque cœlo
Atria magnorum faceret generoſa deorum,
Et complexa novem diſtingueret ordine circos.
Quis daret aurigas totidem, primumque vocaret
Mobile, quod celeri ſecum ferat omnia lapſu,
Inſcius aſtrorum, nec pervius ignibus orbis.
Poſt hunc ſidereo daret ut diſcurreret axe
Conſpicuus ſtellis circus, lateque vagante
Aſtrorum ſerie; hinc rutilos errare planetas,
Fal-

Falciferumque ſenem, magnique æterna tonantis
Sidera virgineos monſtrantia nunc quoque raptus.
Inde trucem quinto diſcurrere in orbe Gradivum,
Et ſecum ardentes Pyrois deducere amores,
Nec circumfuſas Cythereæ horrere catenas.
Hinc medium claro procedere ſidere Phœbum
Præciperet, ſineretque ſui miſerabile nati
Corpus ab extremo deferre ad ſidera mundo,
Inque deis meritum numerare. Hinc Cyprida cycnis
Poneret aſſiduis vectam, quam mille ſequantur
Depictis pueri pharetris, pictiſque ſagittis,
Miſcens turba deos homineſque, atque ultima Averni
Regna, per obſcuras iterans quoque tela cavernas.
Hos prope falcatum celeri conſurgere greſſu
Mercurium jubeat, ſævas de Cecrope nata
Sumentem pœnas: fraterna luce coruſcam
Imperet inſtabili Phœbe conſurgere vultu:
Et quicquid tellus, quicquid mare, quicquid & aer,
Quicquid habet mundi pars ultima fervidus ignis,
Complecti, & magnis circumdare flexibus orbem.
Altera ut inſtabiles ſpecies, paſſuraque ſemper
Corpora mixtorum, varias inducere formas,
Æternaſque acies, atque implacabile ſemper
Fraternis elementa odium exercere ſub armis
Præcipiat: jubeat certa ſtatione vagari
Omnia, ſupremam mundi conſcendere in arcem
Ponderis expertem flammam, ſummoque nitentis
Ferre deæ curſus, & tangere vertice Lunam:
Aera ſub flammis triplici regione vagari;
Quarum quæ media contenta eſt parte, remoto
Igne procul, Zephyro glaciali torpeat; & quæ
Altior eſt, flammis & tacto ferveat igne:
Tertia, quæ terras & cingit Nerea, Phœbo
Clara repercuſſo, & radiorum luce tepeſcat.
Cingere deinde ſolum majori pondere pontum,
Et ponto ſubſtare tamen non undique terram,

O-

Omnia ne pereant animalia mersa profundo.
Hinc canit, ut formam surgentia corpora cœlo
Deducant, rebusque recens nascentibus aptam
Materiam præstent elementa; utque ordine certo
Inferiora polo parent; præscribat ut alto
Nascendi leges Deus æthere; ne æquore tellus
Mutetur, nisi victa prius; neu Nereus aer
Fiat, ni ille hosti cedat quoque; Juppiter ignis
Ne sit, si flammis non cesserit; hæc quoque certum
Cogantur servare modum, si crescat in æquor
Telluris facies conversa; sit æthere in alto
Major aquæ species, quantumque increverit illa,
Hæc quoque; & ignitam formam si sumpserit aer,
Augescat vultus, quantum vel terra, vel æquor.
Inde refert, geminos ut Phœbo tacta Cybele
Exhalet fumos, quorum ferat alter aquarum
Naturam; tactoque licet de sole tepescat,
Et linquat terras, & pontum rarior: at sit
In pluviam pronus converti, & nubilus agros
Imbribus assiduis liquefactus sponte maritet;
Alter in æthereas sedes, Vulcania regna,
Ire paret, multumque deum gerat ore; nec ulla
Parte sui pontum referat, sed siccus & expers
Frigoris, admoto conflagret protinus igne.
Hinc docet & varias sortita incendia formas:
Nunc stipulas referant ardentes, tela videri
Nunc possint, jacula, & clypei; nunc sidera cœlo
Demissa, & tereti fulgens modo lancea ferro,
Sint modo saltantes capræ, modo cornua, crines,
Nunc quoq; quadrupedes, turres modo, nunc quoq; & hædi,
Accensæve pyræ; seu quas capit æthere in alto
Spiritus incensus, facies referebat; ut aer
Ignibus attiguus varios ostendat hiatus,
Clara per obscurum si lux lucescere fumum
Cœperit: hinc formas narrat, variosque colores,
Multaque quæ nostras terrent phantasmata mentes.
Tunc

Tunc canit, ut denso quum se glomeravit acervo
Ingens spirituum cumulus, tetigitque supremum
Cœli orbem, cepitque novos in nubibus ignes,
Nunc barba, nunc crine rigens flagrante cometes,
Sæviat in populos regesque immanis, & agros
Urat, & in miserum pecus ingruat, ipsaque cœli
Conetur promissa novis evertere monstris.
Tum vero, ut claro pars ætheris illa nitore,
Qua petitur domus alta Jovis, conflagret, & ipso
Fulgeat astrorum cumulo, seu surgat in illam
Cœli oram cœlesti humor virtute perennis,
Qui excipiat radium astrorum, fractaque nitescat
Stellarum luce, & referat sub nubibus æthram,
Seu Phaetontæis conflagret nunc quoque flammis,
Antiquumque Jovis referat scelus, aut ibi cœlum
Densius oppositi candescat lumine Phœbi.
Hæc deus, invito donec sol aureus orbe
Cessit, & æquoreis surgens nox humida regnis
Obscura infecit terras, & sidera nube.

FINIS.



ECLOGA QUINTA.

CIVICE.

FOrte rosas Civice vicini in vallibus horti
Quum legeret, violasque simul studiosa coronis
Liliaque insereret, crinesque ornaret acantho;
Formosi dominus pecoris Polydorus, & horti
Callimus, insignis calamis puer atque cicuta,
Aspexere simul Civicem, simul arsit uterque,
Ambo in amore pares, nimium sed dispare forma.
Jam senior Polydorus; at hic tamen ire juvencas
Mille ad mulctra videt, totidemque sub ubere campo
Ludere lascivos spectat cum matribus agnos.
Ille novem, totidemque simul formosus aristas
Viderat intonsis etiam tunc crinibus; & jam
Vestire albentes tenera lanugine malas
Cœperat, & graciles dextra comprendere ramos.
Illa, licet pueri primum flagrasset amore
Victa piis lacrimis, & pubescente juventa,
Et quibus ante alios pastores versibus ibat;
Attamen (ut varium & mutabile femina semper)
Muneribus corrupta senis, meliore relicto,
Dona sequebatur senioris perfida amici.
Ergo inter salices densas, ad frigora noctis
Exierat lectum pertæsus, & inter opacum
Mollibus hos verbis recubans ad murmura ripæ
Jactabat juvenis questus, & sylva tacebat.
Horte rosis speciose, meam quo serta parantem
Conspexi primum Civicem; fons splendide, Mopsi
Post Salices, Lycidæ in pratis salientibus undis,
In quo virgineum lavit pulcherrima corpus;
Tuque nitens arbor ramis florentibus, illa
Qua niveum fulsit, tunicas discincta decoras,
Et latus, & fusis caput alba in colla capillis;

Et

Et vos prata, novis fragrantia floribus, almam
Quæ vestem, tenerumque sinum fovistis amico
Cespite, & irrigua viridantis graminis herba;
Vosque auræ, vosque arva, meæ male conscia flammæ;
Si qua movet pietas, lacrymis pereuntis adeste,
Dum queror, & vos suprema nunc alloquor hora.
Si sic fata volunt, & ineluctabile divum
Consilium, Civice Polydorum ut nostra sequatur,
Et mihi condat Amor crudeli lumina morte;
Hoc mihi pro pietate mea concedite saltem,
Frigida ut in vestra liceat deponere terra
Membra tamen, sacraque locare cadaver arena:
Fulgeat hæc tantum si spes, nec obire recuso,
Nec, licet ante diem, nigrantes visere manes.
Quandoquidem nullus sylvis locus, aptius in quo
Spiritus hos linquat, vel quo felicius artus,
Quam quo visa mihi Civice pulcherrima primum,
Quo primum dilecta fuit: nam pulvis & ossa
Si, quo te videre, loco sint forte sepulta;
Hortus ut ille mihi, fons lucidus, uvida prata,
Arbor opaca, novo mentem devinxit amore;
Elysiis velut in campis hac sede quiescent,
Et volucri super astra mihi splendentia gressu
Evectus, magnique Jovis super arva videbor,
Atque ibi pascere oves, ubi sidera clara refulgent.
Illic te flores texenda in serta legentem,
Et salientis aquæ linquentem marmora vidi,
Et vidi simul, & flammas simul ossibus hausi.
Undique purpurei ramis florentibus, imbris
Instar, in ambrosiosque sinus, teretesque papillas
Manabant flores; hic se dabat ungue decoro
Carpendum, niveoque secandum pollice: at ultro
Ille super vestem, crines super ille vagantes,
Hic super oris ebur, mellitaque labra cadebat.
Tu florum cumulis, & nimbo tecta rosarum
Puniceos horti pergebas carpere honores.

I Ipse

Ipse mihi surreptus eram, mecumque profundo
Pectore suspirans; Hæc æthere venit ab alto,
Aut certe Oreadum, dicebam, sanguinis una est.
Tunc quasi mentis inops, plenusque speique metusque
Accessi; sed nulla animum sunt verba secuta,
Sim licet ipse meos lacrymis tibi fassus amores.
Risisti, blandumque tuens, tanquam ipsa caveres
Audiri: Formose puer, te præmia tanti,
Dixisti, non parva manent, quem faris, amoris;
Oraque præteriens in me conversa tulisti.
Collegi intuitum, atque animi prænuncia verba;
Verbaque contuitumque abeuntis, & ossibus imis
Abdita sic servo, sic ipsis fixa medullis,
Excidere ut ne mente queant, sed nocte dieque
Versem animo meditans, illaque in imagine oberrem.
Ex illo miseras exedit flamma medullas,
Unaque præ cunctis mihi tu formosa videris.
Thestylis ah quoties! quoties Amaryllis Iolæ!
Munera quin Lalage nuper mihi misit, & alto
Pectore suspirans: Mittit quæ munera, dixit,
Mittit & ipsum animum; tu suscipe, Callime, utrumque,
Et desertricis ne castra sequaris amicæ.
Vir tamen ante ovium mutabit vellera setis,
Velleribusque caper setas; geret ante leonis
Terribilesque jubas & tela nocentia cervus,
Et cervi ramosa leo prius induet arma;
Quam nisi, depereo quo te, contingat amore,
Quamque aliam, nisi te, mea signa sequantur amicam.
Tu tamen (ah!) sequeris Polydori munera rauci,
Nec nostras male-sana faces, aut carmina curas:
Hei mihi! nec quis erit, qui temporis illius acta
In mentem, Civice, revocet tibi; quum simul antrum,
Antrum præruptis ingens sub rupibus, ambo
Murmure dum magno cælum miscetur, & imber
Grandine commixta sequitur, devenimus, atque
Es lacrymas miserata meas, miserata labores,

Quum

Quum jam furtivi impatiens pertæsaque amoris,
His mecum in sylvis voluisti ducere vitam,
Et mecum incolere, & mecum in convalle virenti,
Aut nemore in denso recubare, & vimine lento
Texere fiscellam, lactique parare premendo.
Ipseque dum tenui carmen modularer avena,
Esse simul mecum, & pendere canentis ab ore;
Quin calamos tentare etiam, pariterque canenti
Concinere, & nostro nunc dulcia basia cantu,
Gaudia nunc Veneris miscere salacia nudæ.
Non ego opes Crœsi, non tunc quodcunque per orbem
Est gregis, attritæ non terræ quicquid ubique est
Vomere, & incurvi proscissum pondere aratri,
Optassem; non quæ rupissent horrea messes.
Te sola contentus eram; tu farris acervi,
Tu vice proscissi splendenti vomere campi,
Tu gregis, & multi Crœsi prædivitis auri.
Sola mihi, votisque meis, animoque fuisti.
Tunc sata læta licet canis æstifer ureret, acri
Vel glacies concreta gelu nascentia pessum,
Effusive darent imbres; licet horridus Auster
Turbine jactaret valido pomaria, & altis
Sterneret omne solum ramis; licet improba grando
Fructibus arboreis stragem daret, & daret uvis,
Discuteretque ulmos vineta sequentia summas;
Omne tamen tecum damni discrimen obisse
Ridebam; raperentur oves, raperentur & agni,
Ditior ipse tamen mihi cunctis esse videbar.
O tamen, o hominum miserum genus, aspera quorum
Dulcibus, & lætis succedunt tristia rebus
Pocula melliti calicis de margine, tetro
Felle quibus, taboque putri perfusa bibuntur.
Scilicet evectum clarum super æthera, ab alto
Dejicis, ut gravior pulso sit ab æthere casus;
Quemque sequebaris cæco modo percita amore,
Nunc fugis? ah demens! sequeris quem? num tibi sordet

Calli-

Callimus, accensæ Polydori informis amore?
Fiſtula num, magnum qua vici Thyrſida cantu?
Thyrſida, qui mecum contendere verſibus auſus
Judice ſub Lycida, ſuperatus fregit avenam,
Et ceſſit ſylvis indignabundus avitis.
Ille mihi calamos, luſit queis Tytirus olim,
Thyrſida queis magnum donavit Tytirus ipſe,
Victori pretium pugnæ dedit; & ſuper, inquit,
Eſto puer, tecum ſi certet carmine Mopſus,
Ipſe ſuo victus cum carmine Mopſus abibit.
Ex illo egregios calamos mihi tempore ſervo,
Et videor, qualem Venus ipſa libenter amaret.
Anne adeo informis videor tibi? judice ſed te
Sat nuper formoſus eram, requieſcere vili
Quum culmo, pecudes inter, per prata placebat,
Dum mecum amplexu tenero detenta cubares.
Quin ego me, patrios agerem quum ad flumina tauros,
In placido, ventis non conturbantibus undas,
Flumine conſpexi; quantumque ego noſcere poſſum,
Nec Daphnis mecum, nec conferretur Alexis,
Formoſum paſtor Corydon ſi laudet Alexim,
Et Daphnim licet uſque extollat ad aſtra Menalcas.
Adde, quod auritum leporem tibi miſimus, & quos
Rupe ſub umbroſa teneros deprendimus hædos,
Hædos ſylveſtres, maculoſis pellibus ambos.
Me tamen ipſa fugis, me ſurda deſpicis aure,
Nec prodeſt, alios quod forma & carmine vinco,
Hei mihi! nec miſerum quod me dilexeris ante.
Crudelis Civice, poſtquam me ſpernis amantem,
Nulla gregis jam cura mei me tangit: it ipſum,
It miſerum pecus, & ſine me vix pabula ſumit,
Impaſtumque redit per ſe ſub veſperis umbras.
Nemo tondet oves, nemo ad mulctralia ducit,
Aut diſtenta premit mulgentibus ubera palmis.
Cuncta vacant, niveoque carent mulctralia lacte,
Permiſſoque greges onerantur vellere terga.

Quin

Quin ſtudium cultus horti, quo clarus habebar,
Excidit ex animo penitus mihi. Creſcite inertes,
Et mortem oppreſſis inducite frugibus, herbæ.
Ite, leves recta fluvii, nec aduſta calore
Arva, per errantes inducto flumine ſulcos,
Temperet æſtivis contrarius ignibus humor.
Carpite per ramos naſcentia germina paſſim,
Carpite, aves, impune; & carmina temnite ficta.
In tenebris læves amites, pedicæque tenaces,
Nexaque lina jacent, & perlita vimina viſco.
Ille hæc: mœſta tamen repetebant carmina ſylvæ.

F I N I S.



ECLOGA SEXTA.

BUDÆUS.

Hoc etiam mœstæ carmen concedite, Musæ,
Hoc etiam Lycidas flevit miserabile carmen
Budæi ad tumulum; & gelido, de more, sepulchro
Pocula bina novi lactis, totidemque caprini
Sanguinis, & totidem generosi fudit Iacchi;
Fudit, & ingentem florum cumulavit acervum.
Tum vocem ad querulæ strepitum cohibere cicutæ
Cœpit, & insignes pastoris dicere laudes.
O decus, o Budæe, vale lux inclyta ruris:
Et (si forte aliquid post mortem nosse beatis
Concessum est mortale animis) mea carmina lætus
Ausculta, & felix quacunque in parte quiescis,
Quos tibi supremos impendimus, accipe honores.
Certe equidem has sylvas, atque hæc sacra omnia circum
Sanctam animam volitare puto, quin cernere cuncta
Atque videre, tui memores, ad inane sepulchrum
Quæ facimus, nostrasque audire & noscere voces.
Quæ si certa tamen res est, cur vocibus illa
Respondere negat nostris, nec se objicit ultro?
O hominum miseranda, brevisque, caducaque semper
Gloria! Tu cantu sylvas implere solebas,
Et numeris ornare nemus, queis magne Menalcam
Vincebas, calamis ageres seu voce canora.
Nunc vero inclusus parva tellure, jacere
Cogeris æternum saxa inter frigida mutus;
Pastoresque, pecusque relinquere mortuus omne.
Tu placido sermone graves discernere lites,
Et dubios poteras solus decidere casus
Pastorum, lætaque nemus sub pace tenere.
Nunc dubios omnes linquis, pressosque dolore
Ingenti, ereptus terris discrimine mortis.

O

O pater, o legum doctor, rurisque magister
Nobilis, o! cujus post te præcepta sequemur?
Quo duce securam trahimus sub pace quietem,
Certe equidem ignoro, postquam te fata tulere;
Judicio teneat quis fido compita, vel quis
Consilium præstet dubiis in rebus amicum.
O venerande senex, quando te rura videbunt
Ulterius? quando nostris in montibus æquum
Servatum magis est? quando reverentia divum?
Vivendique modus? quæ res te sospite pulchre
Floruit usque adeo in sylvis, ut forte verendus
Ambiguos nunquam signarit terminus agros
Æquius, aut dederit tondendos falce colonis.
Heu quis erit, Nymphas nostris jam in montibus unus
Qui canat? aut cujus saliant ad carmina Nymphæ?
Heu quis erit duris in rebus amicus? & idem
Solamen miseris præstabit? ut ipse solebas
Carmine pastorum curas lenire dolentum;
Seu dulces caneres versus ad fluminis undas,
Seu magis umbrosæ recubans sub tegmine silvæ.
Te sine vix fluvios, vix carpere graminis herbam
Scit pecus, atque tuam poscunt armenta cicutam;
Ad numeros armenta, tibi dum vita manebat,
Læta nemus petere, & placidos consueta per agros,
Aut dulces corylos, salices vel carpere amaras,
Vel rapidos æstus solis vitare sub umbra.
Hei mihi! namque tuum discessum noster Apollo,
Nostra Pales, nosterque gemit Sylvanus, & omnes
Flent Nymphæ, Faunique dolent, Satyrique bicornes,
Et pariter te turba deum moriente secuta est
Sanctam animam, sylvasque cohors divina reliquit.
Heu quoties sulcis ausos committere pingue
Frumentum fraudavit humus male fida colonos,
Et lolium infelix, sterilesque rependit avenas!
Et jam pro violis, & pro formoso amarantho,
Aut taxi, aut spinis surgit Paliurus amaris.

Ergo agite & flores, & candida lilia late
Fundite humi, & sertis generosum ornate sepulchrum,
Pastores: Budæus enim fieri hæc sibi mandat.
O Budæe vale, Budæe vale, optime pastor
Æternum Budæe vale: Sylvanus Apollo
Ecce tibi sacras hederæ de fronde coronas
Ultro adfert, quales meruit vix Tityrus olim,
Insignesque venit manes ornare sepulchro.
Ecce etiam sertis intexti cornua Fauni,
Forte datum ut cuique est, sylvestria dona reportant;
Dona tibi, e campis spicas, e vitibus uvas,
Maturosque etiam quacumque ex arbore fœtus.
Nec non lascivæ, quondam tua cura, Napææ
Certatim calathis adportant lilia plenis,
Officioque pio grates tibi reddere dignas,
Acceptosque student olim persolvere honores,
Et quod perpetuum magis est, dignumque suprema
Laude (potest majus tradi quo munere nullum
Manibus) ecce tibi Musæ nova carmina reddunt,
Ecce tibi mœstæ reddunt nova carmina Musæ.
Nos quoque te calamis canimus, semperque canemus;
Dum pecus errabit sylvis, dum pabula sylvæ
Præbebunt pecori, & placidam pastoribus umbram.
Quin etiam sanctum circumsita sylva sepulchrum,
Et platani, salicesque tuum per sæcula nomen
Ad murmur referent auræ, dulcique susurro
Omne nemus, Budæe, pater Budæe, sonabit.
Ipsi te tauri, atque ipsa hæc armenta vocabunt,
Et pecus omne tuos venerabitur undique manes.
Numen adorabunt sylvæ, numeroque deorum
Semper eris nobis: atque ut solemnia Baccho,
Aut Cereri sanctæ facimus, sic nostra quotannis
Ante tuas aras fumabit victima pinguis,
Assertusque deis, pastorum vota precantum
Accipies: taxique prius fragrantia mella
Sudabunt, suavesque rosæ lethale venenum;

Bruma

Bruma prius ſegetes lætas, & meſſis olivas
Ante feret nigras, noſtris quam montibus unquam
Ipſe magis notus non ſis, quam Tityrus ipſe.
Plura puer dicturus erat; ſed Phœbus acerbam
Impatiens ſiccis oculis audire querelam
Non potuiſſe, fugam accelerans, caput occulit undis.
Cogere deinde gregem puerum nox cæca coegit.



DE PACE ET NUPTIIS

D. D.

PHILIPPI ET ISABELLÆ

HISPANIÆ REGUM

LIBELLI DUO.

Optandos ſuperis thalamos, tua dulcia bella,
Alme puer Veneris ſanctæ, pacemque beatam
Gentibus extortam ferro, victriciaque arma,
Hiſpanumque Ducem formæ ceſſiſſe puellæ,
Dicere Pierius mentem mihi ſuſcitat ardor.
Tu mihi, quæ caneris, vires in carmina præbe,
Alma Venus; ſi te colui, teneriſque ſub annis
Si Mariannæo profoſſus pectora telo
Te vel deſerta Cypro in mea fata ruentem
Excepi tamen, & purus pia thura ſacerdos
Sæpe dedi fecique tuas, Cythereia, ad aras.
Tuque adeo, pater Heſperiæ, felicibus armis
Qui pacem optatam mundo, tibi digna paraſti
Præmia conjugio tali; pauliſper ab alta
O tibi ſi libeat vacuum deſcendere mole,
Et noſtras audire preces; tu fautor adeſto
Carminis incepti, fonteſque reclude ſororum
Pierios, monſtraque aditus. Conſultior alter
Nam neque Muſarum fuerit, neque Apollinis antri;
Nec magis igne calent alio frigentia vatum
Pectora, concipiunt tantos nec mentibus æſtus,
Quam te agitante animos; vaſti furit impetus ignis
Cordibus, & flammas ſpirantia pectora anhelant.
Ergo

Ergo pater, ſeu te cupido nova nupta maritum
Detinet amplexu; populos vel ab hoſte receptos
Reſtituis ſociis, & pectora fida tuorum
Devincire novis (qui mos tuus, optime) donis
Pergis, & obtentæ partiris præmia palmæ
Diviſis ſpoliis; paciſque quietus honore
Frænatum patriis ſub legibus aſpicis orbem;
Seu Libycos iterum meditaris, dive, triumphos,
Jordanemve paras, Solymumque laceſſere bello.
Regna, tuis armis parcarum debita fuſis;
Palmiferæque tuum dirus regnator Idumes
Vindicis adventum pavet, & poſcentia pœnas.
Signa, tuas aquilas, captivaque Græcia regnis
Succeſſiſſe tuis, votis dudum omnibus optat.
Cede tamen facilis, teque harum ſubtrahe moli
Curarum, dum noſtra tuas mens dicere tædas
Ardet, & aſſertum divinæ pacis honorem,
Et pergit, qua cœpit iter: tu, maxime, eunti
Pande viam, & greſſus per operti dirige callis
Avia, & ad noſtras vacuus deſcende Camœnas.
Oppreſſum mediis regni penetralibus hoſtem
Henricum Regem Gallum, proceresque, duceſque
Ad Samarobrinam victos, & Terme ſubacto
Geldrudis rigidæ ad muros, & cæde ſuorum
Et bello fractos diuturno, & marte feroci
Pulſos Italia tota, victricibus armis
Maximus Heſperiæ rectorque paterque Philippus
Urgebat, toties perfractæ fœdera pacis
Ulciſcens, totieſque dolis atque arte maligna
Tentatos populoſque ſuos, procereſque ſuorum
Signa externa ſequi, ſeque ultro prodere Gallis
(Infandum!) emptos auri vi gazaque nefanda,
Naturæ leges contra: certuſque ſubactos,
Antiquis ardens odiis, regemque, ducemque,
Et plebem inviſam, & populos abolere feroces,
Aut pacem æternam terris dare, claudere belli
Æternum

Æternum portas, finemque imponere ferro;
Acrior instabat fusis, & terga premebat
Increpitans hasta victrici, & cæde madente
Purpurea, Marti similis Titania campis
Agmina vastanti ferro, saturaque cruoris
Robora quassanti dextra. Pavitantia passim
Terga dabant hostes victi, cum turba deorum
Forte Jovem summa cæli lucentis ab arce
Subjectasque procul terras, pontumque profundum,
Et varios hominum casus terraque marique
Omnivoris lustrantem oculis, miseramque tuentem
Henrici regis sortem infelicis, & ingens
Gallorum excidium, stragemque, fugamque, necesque,
Vinculaque, & totis undantia sangine campis
Flumina, Francorum nigro turgentia tabo;
Invasere alacres, pariterque ante ora sedentis
Procubuere omnes, & adoravere precantes
Gallorum rebus veniam, pariterque deorum
Atque hominum regem suprema in vota vocantes.
Præcipue Juno genua amplexata sinistra,
Hirsutum dextra mentum fratrisque virique;
Talibus aggressa est dictis regina Tonantem.
O sator, o divum genitor, cui summa potestas
Imperiis regere æternis hominesque deosque:
Funditus evertenda tibi gens ergo Pipini,
Bissenique patres, & magnum Francia nomen?
Quid pius Henricus potuit, quid Gallia tantum
Patrasse in superos, ruat alto a culmine ut omnis
Gloria Francorum tot sustentata per annos?
Nam si fata vetant hoc regnum gentibus esse,
Hispanisque datum est mundi moderamen, & unum
Quicquid id est, hoc imperii quod Gallia claudit
Alpibus, atque salo, & ferrugine Pyrenæi,
Henricum agnoscat dominum; sint libera sceptris,
Magne Philippo, tuis: superest pars optima mundi
Auspiciis moderanda tuis, tota Africa, tota
Magna

Magna Asia, & multo Europæ pars maxima cultæ,
Indorumque novus nunquam antea cognitus orbis,
Argentique, aurique ferax, viridisque smaragdi.
Nec moror; hoc tantum conjux tua, maxime divum,
Deprecor, afflictis Gallorum prospice rebus,
Mucronemque viris instantem averte subactis.
Finibus exceptis Gallorum, terminet astris
Imperium late Carolo satus, & regat orbem
Immensum, legesque ferat mortalibus unus.
Hæc dea: sed tacito nihil his Saturnius ore
Respondit dictis, nec tetrica lumina movit;
Immotisque superciliis, quibus aera densat
In tenues nebulas, & turbida nubila cogit,
Arduus excelsa sedet immutabilis arce
Sedis Olimpiacæ. Magis hunc quo diva fatigans,
Amplexu genua & mentum tenet, atque ita fatur:
Quod peto vel promitte, hominum pater atque deorum,
Omnino, aut reginæ hominum divumque roganti
Annue, consortique tori: nam scisse juvabit,
Quid soror & conjux possit Jovis ab Jove summo
Optatum sperare, sit aut Junone dearum
Vilior ulla tibi, qui quæ justissima posco
Abnuis, & Thetidi pro nato plura petenti,
Proque pio Ænea Veneri graviora dedisti.
Ecce autem Thetis hoc petit, & Venus, atque deorum
Omnis turba toro coram projecta sedentis.
Omnibus id dederis, mihi quod concesseris uni.
Huic pater omnipotens, imo suspiria postquam
Pectore laxavit, vocique remisit habenas:
Hem tibi quæ, conjux, inquit, vox excidit ore?
Quæve tuam movit mens imperterrita linguam?
Me ne tibi, tibi me, quæ justa poposceris unquam,
Abnuere? aut quicquam Thetidi Venerive dedisse,
Quod tibi non dederim cumulatius? ipsa nisi acres
Opprobriis moveas iras mihi, nostra lacessens
Consilia atque opera, unanimi cum numina cœtu
Conve-

Conveniunt dubiis consultatura vicissim
De rebus? quoties etenim lacerabis acerbis
Me dictis coram superis, sperare futurum
Desine, ut ulla tibi succedant vota, Tonante
Aut quicquam irato accipias; nisi forte (pudendum
Quod tibi reginæ superum) ter verbere duro
Invicta pulsabo manu; parere marito
Nam decet uxoremque probam, fratrique sororem.
Nunc quoniam supplex oras, perstasque precando;
Vota mihi curæ tua erunt, regemque nefando
Implicitum bello eripiam, quod fœdere rupto
Invicta cum gente gerit, modo nostra capessat
Jussa prior, veniamque roget, pacemque precetur,
Accumuletque hostem donis, lætisque hymenæis,
Armaque contineat castris sua: namque quietos
Quæ rabies capere arma viros, quæ dira libido
Sollicitat, ferrique furor? num gloria tanta est
Conseruisse manus, & tandem occumbere victos?
An dubium expertis consurgat quantus in hostes,
Turbine fraxineam vel quali torqueat hastam,
Cæsaris Augusti proles augusta Philippus?
Ecquis in Hispanos, dominos rerum, impia movit
Arma amens, ausus scelerata lacessere bella,
Quin dederit pœnas moriens, aut vulnere multo
Saucius infosso victorem effugerit hostem?
Mitto ea, quæ magni Caroli gessere parentes,
Invidiam factura deis. Victoria longa,
Longa est gestorum series, nec temporis hujus
Sive loci: mundum quoniam implevere trophæis,
Et rerum pulchre gestarum insignibus ausis.
Quidve prius referas? Divum sator ipse, hominumque,
Omnia qui solus cæli, terræque, marisque
Consiliis moveo æternis, & fata guberno,
Deficio memorans: siquidem quis funera fando,
Quis tetram illius cladem, gemitumque diei
Explicet, ardente Hesperia civilibus armis?

Du-

Ductores Gallum ferus Asparrossus, & ingens
Turnonus monstrum domitor, qua perdere possent
Hispanos hostes meditati, Gallica signa
Qua Reniega viam præbet lambentibus astra
Hinc atque inde jugis (Reniegam namque coloni,
Difficili sumta de re sed voce, vocarunt)
Qua patet ad magni Pompeii mœnia rectus
Per juga Pyrenes ab Stellæ transitus urbis
Mœnibus, immisere alacres, paribusque vicissim
Pugnantes inter se armis, odiisque feroces
Hispanos ferro agressi, cecidere sub ausis,
Vinclaque captivis subiere horrentia collis.
Quot Galli periere duces! quæ corpora late
Strata solo! vel quæ rapidus fulgentia volvit
Arma virum, galeas auro, clypeosque micantes,
Qui Mediolanos interfluit Addua campos;
Dum Pepulus ripa Hispanos avertere tentat,
De Ausoniæ imperio certantes! dira Lutrechum
Quæ clades miserum excepit, discrimina belli
Tentare, & totis occurrere viribus hosti
Audentem, pugnaque lacessere castra Bicochæ!
Vix fugiens, Latio amisso signisque superbis,
Eripuit ferro se se rerum omnium egenum,
Servavitque animam pavitantem & cuncta timentem.
Gonfierum fortuna ducem melior ne secuta,
Ad vada Sessitis congressum milite Ibero,
Trajectumque fero dextrum mucrone lacertum?
Vulnere felicem, si nunquam saucius Alpes
Aereas superet rursum, & vetita induat arma.
Sed quid agat? Nil fas quemquam sperare sinistris
Cælicolis. Ingens Gallorum exercitus Alpes
Rursus Hyperboreas remeat; Franciscus & ipse,
Ampla Pipinææ gentis qui sceptra tenebat,
Agglomerat bello se se, ducitque phalanges
Threjicio sublimis equo, per colla, per armos
Distincto late maculis albisque, nigrisque ...

Ipse

Ipſe auri aſperſus fulgentia floribus arma,
Liligeraſque jubas, Gallorum inſigne (beato
Munere cælicolum terris miſſum æthere ab alto)
Et galeam, & clypeum multo quoque flore coruſcum
Induit , & lateri fulgentem accommodat enſem .
Occupat Auſoniam terror ; quaque impetus egit ,
Aut furor , everſas totis cum mœnibus urbes ,
Accenſos flammis populos, gentiſque Latinæ
Agmina cernere erat totis palantia campis ,
Armorum ingruere horrorem , cæcumque tenere
Cuncta metum Martis rabidi. Comes aureus arma
Gonfier ibat, agri dives, ſed in arva paterna
Haudquaquam rediturus; opum nec divite gaza
Inferior Fuſius : ſed enim nec ſorte beatus
Ipſe magis , pugna quoniam periturus eadem ,
Ibat ovans equitum moderator ; tanta ſuperbas
Excæcat mentes hominum caligo , ſuique
Inſtantis dubii ſtupida ignorantia fati.
Ibat & exultans domitor Severinus equorum ,
Cabbaneuſque , genuſque deum Tramulla , nec ulli
Gallorum genere aut virtute Paliza ſecundus,
Heroeſque alii , quorum deflevimus omnes
Funera cælicolæ. Nam poſtquam ad mœnia magni
Ticini ventum eſt , & ſe ſe in prælia fortis
Expediit, ſolvitque , & in arma paravit Iberus;
Proh ſuperi ! quæ bella illis, quæ vulnera campis
Vidimus, & Gallum quæ propugnacula ferro
Diruta caſtrorum ! plenis quæ funera foſſis ,
Ad vallum pluteoſque, prius quam calce ſoluta
Moles corrueret veteris muri ariete crebro ,
Et denſo tonitru fulmen jaciente ruina ,
Hiſpanuſque ferox campo exultaret aperto!
Namque ubi facta manu pugnandi cominus armis
Copia, virque viro, rabidorum more leonum ,
In ſua graſſantes alterna viſcera cæde
Conſeruere manus ; peditumque equitumque cadentum

Tunc

Tunc gemitus, tunc armorum ferus ingruit horror:
Sidera tunc clamorque virum, ſtridorque tubarum
Pulſat, & inſani nutrix diſcordia Martis,
Quæ ſuperum ſola horriſono clamore ciebat
Bella ferox; nam ſola aderat, pugnamque videndo,
Lætitiæ toto carpebat pectore ſenſum.
Vos ego continui cœlo, ne fata favore
Aut odio divorum aliquis prævertere poſſet,
Quæ mihi conſilio æterno decreta manebant.
Tunc vero ſpatiis camporum plurima late
Corpora ſtrata virum variis periiſſe ſub armis
Cernere erat, variiſque jacentia caſibus atras
Exhalaſſe animas ferro: nec cedere quemquam,
Nec ſe terribili, memorem mortiſve metuſve,
Spectaſſes tanto e cœtu ſubducere pugnæ;
Corpora ſed paſſim fortiſſima cæde cadebant
Sanguinea, ambiguo in nixu, Martiſque furore
Præcipiti, multo fœdata per arva cruore.
Et ſtetit hæc anceps diri fortuna laboris,
Cæſariana cohors donec ſuccenſa pudore,
Vincendique mora, ſe ſe exhortata phalanges
Gallorum rupit valida vi, animique vigore.
Tum vero infelix lævo, ſata turba Pipino,
Marte cadit; Fuſius fraterque comeſque Lutrechi,
Cabbaneuſque ferox, equitum moderator uterque,
Procumbunt ducis ante oculos; perit ille ſagitta,
Cominus hic rigido cadit enſe per ilia adacto.
Regius occumbit domitor Severinus equorum
Sublimi dejectus equo procul igne micantis
Tormenti, & tonitru jaculantis ahenea tela.
Sternitur infelix tereti Tremelius haſta,
Gonfier ancipiti rurſus mucrone per imum
Transfixus jugulum. Quis enim fata aſpera lædat,
Diraque Parcarum digitis currentia fila?
Jam ſenior telo periit confoſſus acerbo
Infelix Tramulla, deum qui maximus unus

Cultor erat, pietas nec te, miserande Paliza,
Plurima, nec virtus, nec avorum insignia letho
Defendunt, caditisque omnes; locupletis in agro
Ceu segetis, crebri cadere assuevere manipli
Falce sub incurva flaventia farra metentum.
Quis tibi tunc sensus cernenti talia, magne
Francisce? aut quæ mens fuit? Ipsi occumbere morti,
Quam trepidæ dare terga fugæ imperterritus optas.
Et quamquam mœrore animi calor ossa reliquit,
Attamen in densos urgens calcaribus hostes.
Cornipedem impellis: pilis exceptus Iberis
Corruit at quadrupes, generosaque pondera dorso
Excussit moriens, pugnam capis ipse pedester;
Attamen obrueris numero, manibusque revinctis
Vincla subis, sacros Caroli ornature triumphos.
Sed quid opus magni memorare Philippidis arma,
Cunctaque rapta manu quocumque ex hoste trophæa?
Quidve opus excisas urbes? quid regna? quid hostes?
Quid varias rerum facies, quas gessit amico
Numine divorum, & ferro, & victricibus armis
Per totum sparsas orbem? Duramne subactam,
Gueldrensemque ducem? an Latialis mœnia Romæ
Commemorem, captosque patres, arcemque Quirini?
An Genuam portu celebrem pictisque carinis,
Florentemne urbem Medicææ gentis, an almam
Parthenopem? Senam ne alacrem, Lucam ne beatam,
An referam Insubres campos, Trinilumque, Comumque,
Atque Albam magni Pompeii, Cæsareamque
Augustam, Leucum, Ticinum, & parva, Novaram,
Mœnia nunc, olim magno oratore superbam
Albutio, & densis ornatam civibus urbem?
An demum Italiam totam? Victa Africa, victa
Æmula Romani imperii Carthago, triumphos
Ornavit Caroli armipotentis, & inclita Taphra,
Massyli, Numidæque truces, & inhospita Syrtis,
Sabathra, Ciniphiique Macæ, Sarranaque Leptis,
Et

Et Zama, & insignis Rutulorum funere Tapsus,
Et Clupea, & multum dilectus regibus Hippo;
Quasque referre mora est, & quas ditione premebat
Barbarus, horrendum cui nomen rufa tyranno
Barba dedit, pugna superatus ad alta Guletæ
Mœnia, & ingenti regnis vi pulsus avitis.
Numquid non Asiæ dirus regnator opimæ,
Qui Grajos premit imperio, Syriosque, Arabasque,
Quique colunt gelidas cœnosi Phasidos oras,
Et Libyæ ardentes urbes, ustamque Syenem,
Euphratisque feros populos, quicumque liquores
Ore bibunt, & qui te, turbide Bragada, potant,
Qui te, Nile, decus fluviorum, atque Istrica regna
Quæ colit, & Getici gens Hebri gaudet honore,
Horruit ad nomen Caroli venientis, & acri
Fisus equo patrias fugiens remeavit ad oras,
Ungaria cedens tota, & fera castra relinquens
Hostibus in prædam invisis, & Cæsaris umbra
Eminus armatos hostes sine nomine vicit?
An non Germanos, non pictis Saxonas armis
Sub juga, non Rhenum indomitum, flavosque Suevos,
Danubiumque Scytham, Moscumque, Getamque coegit,
Et Salas, Drusi spoliis lethoque superbas,
Atque Albim, Albim quem nunquam superavit Iulus;
Nunc acies Albim Hispanas, nunc ora natantum
Miratum tumidas portantia tela per undas
Teuthonico late spumantes sanguine, & urbes,
Captivosque duces, & diruta mœnia passim?
Namque ego quid gentes dicam, quas Tiphys Iberus
Permenso premit Oceano, qua nulla Bootæ
Sidera prospiciunt, signumve Erymanthidos ursæ;
Sed Garamantiacos, diverso tramite, nautas
Qui regit, opposito vertex Antarcticus Arcto,
Indorumque novos, quos nec Semeleius heros,
Amphitryoniades nec novit claviger orbes?
Credo equidem, auspiciis Caroli si Cæsaris olim

In

In Superos sævi moviſſent bella Gigantes;
Ipſe ego ceſſiſſem cœlis, & vincla ſubiſſem,
Queis pater expulſus regno ſine honore tenetur.
Sed nuſquam pietas major, cultuſque deorum,
Nuſquam relligio, & fidei reverentia veræ;
Queis meruit cœlum virtutibus, & juvat aſtris
Aſſertam ſuperis animam regnare, beatis
Conciliis divum adſcriptam, votiſque vocari.
Ne prudens, ne ſe committat talibus armis,
Aut tali cum gente gerat bella impia demens
Regnator gentis Clodovejæ, digna vetuſti
Martelli ſoboles; ſed pacem & fœdera jungat
Dum licet, & ferri caveat vel ludicra, vitæ
Si cupit optatæ conſultum, atque exuat arma;
Agnoſcatque ſuam ſortem, veniamque precatus,
Armatis diro caveat concurrere ferro.
Aſſurgit Caroli majora in fata Philippus.
Hæc ubi dicta, fidem promiſſis inſuper addit
Juppiter, ambroſios fundens de vertice crines,
Æterno nutu, Superum quo nota voluntas
Extat, & ulterius nunquam revocabile fatum:
Utque ſuperciliis divum pater annuit atris,
Terrifico ingentem nutu tremefecit olympum.
Tum noctem immiſit terris, quæ lurida fuſcis
Involvit tellurem alis, pugnamque diremit.
Inde vocat Maja genitum; Celereſque per auras
Vade age nate, inquit, levibuſque illabere pennis,
Qui portas mandata deum, Zephyroſque volatu
Tranſnata, & Henricum, qui gentis ſceptra comatæ
Ampla gerit, veteris regna invidioſa Pipini,
Alloquere, & quæ ſit victo via certa ſalutis,
Quæque meæ mentis doceas immota voluntas.
Dum licet, abſiſtat bello, veniamque precetur,
Muneribuſque ſibi placatum vinciat hoſtem,
Flaventiſque deæ crines optato Hymenæo,
Quam Veneri ſimilem genuit; nam ſola Philippum
Vi-

Victorem medio vincendi in tramite sistet,
Æternamque dabit terris Isabella quietem.
Juppiter hæc: Venus alma Jovis sed filia, postquam
Flaventes dextra, formæ studiosa, capillos
Composuit, pectusque, oculos, frontisque decorem,
Ambrosiosque sinus apte curavit; Olympi
Omnipotens regnator, ait, qui nubila torques:
Si sedet hoc, gratumque tibi servare Pipini
Progeniem, & mundum æterna donare quiete;
Idque nisi accepta thalami consorte Philippo
Egregia Henrici nata felici Hymenæo
Confieri nequit, ignavissima dicar, & alto
Haudquaquam orta salo, si non inimica ligaro
Pectora connubio stabili, sponsamque marito
Si non tradidero, & concordi fœdere jungam,
Accensura virum, flammasque in pectora trudam,
Ardeat ut, versetque novos sub sensibus æstus.
Ipse Atlantiadem, quod agis, dimitte per auras,
Qui tua jussa ferat: sunto mihi cætera curæ,
Quæ faciles aditus novi, mulcere precando
Cui fas Carolidæ mentemque animosque feroces.
Dixit, & a Superum cœtu laudata recessit.
Ast alii patrem, multa jam nocte, deorum
Concilio ducunt redeuntem in tecta soluto,
Quæ faber æterno construxit Lemnius olim
Cœlicolum regi, fulvo variavit & auro.
Hinc cubitum cedunt: jussus volat alite penna
Interea Maja genitus Tegeæus alumnus,
Horrificasque Metus per amica silentia noctis
Pacifer ingreditur sedes. Stant limine nigro
Horrendæ visu facies, lymphaticus Error,
Sollicitusque Pavor, & pallida Mortis imago,
Et Tremor ad strepitum dentum membra hirta fatigans;
At gelidus late circumfluit omnia sudor
Atria, & attonitis pendens vox faucibus hæret.
Mentis inops animus generosis degener ausis,
Con-

Consciaque admissi sceleris mens, impia lustrant
Limina ; crescentes volitant nigra atria circum
Larvatæ rerum facies, & major imago
Damnorum veris, spes nulla, gravisque pericli
Horror, & ignavus subeunda ad munera torpor.
Pervigil ipse intus, quamvis penetralia complet,
Attamen apparet nusquam deus, & jacet expers
Luminis, inque hominum dominatur corda tyrannus
Mollia crudelis, deformique intima morsu
Viscera corrodit mendax vice corporis umbra.
Ergo introgressus placido sic ore potentem
Impiger alloquitur divum Cyllenius ultro.
Magne Metus, quoniam tibi fas lenire superba
Corda virum, elatisque magis præsentior astas:
Huc age, Gallorum accepta modo clade furentum
Maximus Henricus dominator, ut arma reponat
Nomine sceptrigeri Jovis flectendus, & ultro
Ut veniam pacemque roget, ne vindicis iræ
Impatiens, belli tentet discrimina rursus,
Atque impar magno congressus forte Philippo
Intereat: tu carpe viam, regemque superbum
Aggredere, atque imis totum te sensibus infer,
Ut veniens facilem admoneam, sanique capacem
Consilii, magnique Jovis mandata facessam.
Paret Majugenæ dictis Metus, & volat inde
Vincere magnanimum regem, perque omnia lustrat,
Qua ratione viri fortissima pectora tentet.
Tempus erat, medium cœli quum Cynthia nigris
Alta tenebat equis, & nox diffusa per orbem
Suadebat placidos mortalia carpere somnos
Corpora fessa opere, & vigiles seponere curas.
Henricum fusum stratis sopor altus habebat
Defessum belli studiis, Martisque sinistri
Casibus adversis, pugnæque labore diurnæ:
Volvere quæque vigil mentis vigor improbus ægro
Est animo suetus, reddit sacer omnia somnus

Per

Per noctem, tacitoque refert in ſenſa ſopore
Admiſcens falſis nimium quoque vera, futuri
Incertus, quandoque tamen veriſſimus augur.
Ipſe videbatur per ſomnum prælia rurſum
Inſtaurare, noviſque offendere turpiter auſis,
Armataſque manus fugiens vitare Philippi
Magnanimi inſtantis telo, jam jamque tenentis
Verſa manu, rigidaque prementis cuſpide terga.
Vix tandem elapſus magni de cæde Philippi,
Accipere occurſu vulnus lethale ſuorum,
Orbarique oculo, vitaque & lumine caſſi
Omne decus ſolvi letho, niveoſque per artus
Ire color Stygius, formæque extinguere honorem
Purpureum, multoque comas cum ſanguine mœſtum
Decidere in vultum; capitis nec pondera ferre
Ipſa ſui cervix violata, caputque caducum
Ambroſium in jugulum, pectuſque recumbere in imum.
Dormiat, an vigilet, neſcit; vivat ne ſuperſtes,
An ſit apud manes: nigrique ad judicis urnam
Ire videbatur trepidus, Minoaque dirum,
Obductum tetra nebula caput, impiaque ora
Cernere terribili poſcentem crimina voce;
Inſtantemque novas tantorum diſcere cauſas
Bellorum, vivens Superum queis miſcuit orbem,
Totque virum fortes animas demerſit acerbo
Funere, & innocuo fœdavit ſanguine terras.
Tunc Metus exanguem aggreditur, miſcetque veneno
Cuncta malus rerum interpres, & peſſimus augur.
Quaque via pejore poteſt, trahit omnia mœſto
Augurio; premit exemplis, dirumque Ephialtem
Objicit, Enceladumque trucem, cumque anguibus Oetum,
Fulmine ſemuſtos magni Jovis, oribus atros,
Et quinquagenis ructantes faucibus ignes,
Sidera conatos, Superoſque laceſſere ferro,
Et vetitas tentare vias in celſa deorum
Atria, magnanimumque Jovem detrudere cœli

Im-

Imperio. Tum magni ingentia gesta Philippi
Ante oculos ponit; Samarina fluentia tabo
Æquora, Geldrudis cladem, Termisque subacti
Vincula, & ingentem stragem cædemque suorum;
Tum Memoransini excidium, procerumque, ducumque
Immensum. Pavet ille metu, totosque per artus
Manabat sudor gelidus, cum somnia rupit
Mercurius virga, qua manes evocat orco,
Tristia quaque alias animas sub Tartara mittit.
Tum regem invadit, placidoque ita pectore fatur:
Antiqui soboles Martelli, gloria gentis
Ampla Pipinææ, Clodoveia regna feroci
Qui regis imperio, claro sate sanguine magni
Francisci, haud unquam tali inficiande parenti
Henrice, exitiale geris cum gente deorum
Invictisque viris bellum, quos nulla laborum
Ærumna assuetos, bellive pericula frangunt,
Prælia pro ludo queis sunt, & pro nuce ferrum:
Quo demum ipse loco jaceas rerumque ruina,
Hostis dum Samaram bibit intra mœnia victor,
Et Termes pugna victus, fusæque cohortes,
Vinclaque captivi proceres subiere tuorum,
Vidimus, atque tuo perculsi sæpe dolore
Planximus, & lacrymis divina rigavimus ora.
Nunc tibi me claro Superum regnator olympo,
Numine qui torquet cœlum terrasque beato,
Dimittit, celeres atque hæc mandata per auras
Ferre jubet. Quid bella paras renovare nefanda?
Aut qua spe toties victus nova prælia tentas?
Quin veniam pacemque roga, quin fœdera junge,
Quin certa officiis. Nescis heu perdite, nescis,
Quam grave de regno cadere, & servire malum sit,
Quam fragili sint regna loco sine numinis aura.
Quod si nulla tuæ tangit te cura salutis,
Et victum tædet vitæ; tamen optima virgo
Est Isabella tibi, Superum quæ maxima cura,

Digna

Digna Jovis thalamis, Jove vel meliore marito;
Quam tædis fraudare nefas, regniſque parentum.
Talibus affatus magni Jovis aliger Arcas
Nuntius, in medio regem ſermone reliquit
Attonitum, manifeſta poli ſuper æquora lapſus
Ante oculos, claraque refulſit luce recedens.



DE PACE ET NUPTIIS

D. D.

PHILIPPI ET ISABELLÆ

HISPANIÆ REGUM

LIBER SECUNDUS.

ATtonito gelidus circum præcordia regi
Sanguis hebet, rigidiſque hæret vox faucibus, almo
Aſpectu, & monitu tanto, imperioque deorum.
Corripit e ſtratis corpus, ſequiturque ſupino
Ore deum, junctas tendens ad ſidera palmas.
Et quamquam nullus pavitanti ſuppetit uſus
Oris, & obſeſſo riguerunt verba palato;
Munera ſacra Jovi libat tamen, atque precatur
Imo corde deos veniam, ſupplexque beatam
Pacem optat, digniſque locare Iſabellam hymenæis,
Et tædas generumque omnis vel dote paciſci
Imperii, Clodovæe, tui, gentiſque Pipini.
Sed quid agat? medio in curſu retinere furentem
Victorem precibus? quem toto corpore regni
Obvius armati, quem objectis mœnibus, atque
Ignea terribili tonitru jaculantibus æra
Tormentis piceo flammati pulveris æſtu
Haudquaquam potuit, vel ad unum ſiſtere greſſum,
Ipſa per ignivomi ſaxoſa tonitrua ferri,
Fulminaque horribili fumantia ſtrage ruentem.
An veniam ſupplex victori poſcere ab hoſte
Audeat, & Natæ thalamos offerre tenenti
Arma duci, ſtrictoque inimica per omnia ferro,
Irata miſſi dextra Jovis inſtar euntí
Fulminis, aut piceæ vaſtantis cuncta procellæ?
Hæc tamen, hæc dubiæ tandem ſententia menti
Viſa prior, quæ ſola patet via ſi qua ſalutis.

Ergo

Ergo ubi prima dies cælo ſe immiſit aperto,
Tithonique ſenis linquens Aurora cubile
Oſtendit roſeum terris caput, aſtraque toto
Ceſſerunt cælo radios fugientia Phœbi
Inſtantis, rutilaque accenſi lampade crines;
Qui mandata ferant, pacem veniamque precentur,
Ire jubet, ramoſque manu prætendere olivæ.
Centum oratores prima de gente comatos,
Munera portantes, argenti pondus & auri,
Et claves centum populorum, olim aucta rapina
De ſociis ſpolia, & Clodovæis addita regnis.
Unum etiam donis, regi quæ plurima mittit
Hiſpano, unum etiam, quo non præſtantius ullum
Munere cælicolum potuit contingere cuiquam,
Adjicit, egregia natam formaque, pudoreque,
Inſtructamque dea dignis virtutibus, orbi
Quæ ferat æternam pacem, requiemque laborum.
Hanc ſponſam genero egregio, digniſque hymenæis
Imperat offerri, pacemque hoc fœdere jungi.
Dumque ea legati peragunt, Venus alma parentis
Exequitur mandata Jovis, cælumque relinquens,
Horrida magnanimi, populos qui frenat Iberos,
Caſtra ſubit regis cæleſtem exuta figuram,
Albanique ducis corpus mentita, graduſque,
Et vocem, & vultus, Martique ſimillima membra,
Ingreditur magni tentoria nota Philippi.
Ille ducum ſacra circumſiſtente corona
Conſilium ſummis belli de rebus habebat,
Qua fuſos ſit parte ſequi præſentius hoſtes,
Quæ debellandis potior ſententia, quo ſint
(Quandoquidem mutanda) loco figenda ſalubri
Caſtra, dapes & aquas habeant, & ſecta per agros
Ut frumenta; quibus melius cuſtodia vallis,
Excubiæque virum ſervandæ; primus euntes
Quis cuneata acie depugnaturus in hoſtes;
Quis premat a tergo fugientes; ſiſtat in agmen
Quæ

Quæ quadratum acies; paribus quis frontibus ordo
Pugnet, & æqualis consurgat rectus in armis.
Expediatne globos equitum præmittere, rumpant
Qui fugientis iter, & scissis flumina claudant
Pontibus, aut victum pugnando a fronte morentur.
Num via clivosos ducendis optima turmis
Per montes, an plana magis, seu pervia campis;
Amplane, & extensis melior sit cornibus, anne
Strictior, atque armis demum ingredienda sub arctis;
Aptior insidiis quæ vallis, densius umbra
Quod nemus, hostiles lateant ubi forte catervæ
Densos post frutices, dumetaque fraudibus apta.
Quot turmæ a tergo hastatæ, quot deinde sequantur
Præsignata cito docti loca tangere plumbo,
Spargere, & ingenti tonitru ferrata manipli
Fulmina, per totos cumulantia funera campos;
Subsidio sociis qui sint, qui nobile portent
Aut capti, aut cæsi regis decus. His super, atque
Id genus oblatis aliis, dicente senatu,
Et consulta foris populo expectante, sub armis
Conspicuo variis; Venus est hæc verba locuta,
Albani retinens dextra ducis aurea sceptra.
Hesperiæ pater alme, tuo mihi munere soli
Inter tot proceres en maxima contigit hujus
Gloria, præfecto castris armisque tuorum,
Horrifici belli quod gessimus; alta potestas
Cui soli post te populos concessa regendi
Indomitos Martis sub legibus, atque tenendi
Intra militiæ præcepta severa furentes,
Quæ me cumque tuus docuit pater: hujus in armis
Namque eductus ego didici, quibus ille per hostes
Impetibus ruerit, seu latis prælia campis
Miscuerit, sive arcta loco commiserit arma,
Seu manus in dextrum cornu mutanda sinistra,
Seu globus in lævam dexter, seu colle supino
Ingenti clamore, manum qui vinceret ipsam,

Plu-

Plurima signa ferens foret immittendus in hostes
Exiguus numero miles. Tum fulmine turres
Quo ferus, atque quibus magnas contriverit urbes
Tormentis vidi, latuit cum mœnibus hostis
Inclusus; quibus & male fidi noxia muri
Excubiis, pluteisque, & ductis vimine fossis
Caverit, optatas donec disjecerit arces.
Qua tot bella, tulit cum sors, exhauserit arte,
Consilio vel quo furiosas Marte cohortes
Distulerit, famamque sequens per bella tumultus,
Obstiterit turmis hostilibus; ut novus alter
Scipio, quem Libycos lento pressisse furores
Marte ferunt. Hoc me bellum didicisse magistro
Glorior, hoc mundi digno meruisse tyranno.
Ergo his præceptis imbutus & artibus hisce,
Hoc etiam fretus sceptro quod munere gesto
Ipse tuo, dicam quæ me experientia rerum
Tantarum docuit. Prostratum haud credite, patres,
Quem propria excipiunt intra sua viscera regem
Regna suum, fractum quamvis fusumque putetis.
Namque ut prætercam, quod adhuc exercitus hosti
Integer est, paucis quos funere mersimus atro
Sublatis tantum, paucisque in vincla coactis;
At non exutas armato milite turres
Credite, desertasque suis tot civibus urbes
Usque adeo, ut fractas nequeant sarcire phalanges,
Et tutum interea sumptis defendere in armis
Exceptum muris regem. Muralibus anne
Mœnia tormentis, & tetri sulphuris arces
Fulmine censetis vacuas, tonitruque minaci?
An tota fusos exacta nocte per agros
Palari, recipique suis neque ab urbibus hostes?
Fingite sed cunctas externo Marte perisse
Gallorum oppressas sub acerba morte cohortes;
Ut certe, obstiterit nisi nox inimica, perissent.
Ergo præcipites inimici in viscera regni

Ibi-

Ibitis? & varias ſimul obſidione premetis
Urbes, diviſis minuentes robora caſtris,
Linquenteſque feros a tergo fortiter hoſtes?
Frumento qui vos, vinoque, ciboque juvantes
Pro pietate ſua foveant? Eſt ſcilicet omne
Tutum iter, & ſciſſis nuſquam irremeabile ſylvis,
Nuſquam fluminibus prærupto ponte reclusum,
Nullis inſidiis, nulloque tricuſpide ferro
Difficile, & nullis infecta fluenta venenis.
Credite, nam talis ſemper mihi cognitus hoſtis,
Ex quo pro mundi imperio ſudamus in armis.
At referunt, noſtros hoſtes nullo ordine, nullis
Palantes ducibus ſigniſve, extinguere ad unum
Vel parva nos poſſe manu: poſſimus & illis
Parcere in hoc potius, diro quam more ferarum
Marte ſaginari, multoque cruore feramur.
Præcipue tantæ ne deſit nuncius hoſti
Cladis, & a Gallis diſcant ſua funera Galli.
Vincere ſit nobis ſatis; incrudeſcere diris
Tigribus, Hyrcana vel rupe leonibus eſto.
Adde quod eſſe decet fortuna quemque ſecunda
Contentum, ne ſæpe gravi irritata recedat
Cum noxa, & ſtulti damno victoris acerbo.
Nam quanto (o ſuperi!) fuſo magis hoſte beatus,
Munde, fores; victos ſi non inſtantius hoſtes
Perſequerere? Tuis victor fruerere Gelonis
Ingenti cum laude; tamen dum longius acri
Inſequeris fuſos odio, nullumque relinquis
Perfugii vitæve locum fugientibus, atro
Vulnere mactatus cadis ipſe, & parta ſuperbo
Morte trophæa Goto linquis, temereque jocantis
Fortunæ ludos, ſortemque expertus utramque
Una victor ovans hora, victuſque periſti.
At ſatius quanto, gemino qui ponte parandam
Hoſtibus eſſe fugam duxit, docuitque paventem
Regnatorem Aſiæ, quanto in diſcrimine vitæ
Cœ-

Cœpisset victus versari, ponte reciso,
Si via aperta, foret mox interclusa, salutis,
Cessaretque fugam properare. Argenteus hosti,
Dive Philippe, tuo fugienti cedat & unus,
Si minus ampla fugæ via sit, pons cedat & alter.
Tu palma fruere, & partis ex hoste trophæis
Securus, tempusque dato fugientibus, atque
Sponte locum, faciat ne desperatio fortes.
Crescit in angusto quoniam temeraria virtus,
Inclususque viam vel vi parat. Anne ego prudens,
Strenuus ut pugnet faciam meus hostis, & in me
Insurgat melior? Non id, monstrante Camillo,
Annibale aut patiar Libyæ ductore magistro.
Ille etenim fovit fugientes navibus; ast hic
Concesso spatio vertendi terga, maniplis
Deductis, pressos Germanos (nescia prorsus
Antea corda fugæ) Thrasymeni fudit ad undas.
Ergo abeant, palmamque tibi, pater alme, relinquant,
Egregiumque decus nullis delebile sæclis.
Atque utinam obstupefacta tuis in prælia turmis
Gallia, & abrupti vesano Martis amore
Fœderis in pœnas proclivi vindice dextra,
Tum studio miseris parcendi, at strage superbos
Ingenti meritos abolendi; sanior armis
Abstineat, noscatque tuos sibi nota triumphos,
Et petat, atque ineat potius nova fœdera, servet
Quæ melius: dum sese aliquo constringat Iberis
Pignore honorifico, nostri quod habere nepotes
Lætentur, meritoque hostes venerentur honore,
Sitque novæ monumentum ingens memorabile pacis.
Namque ego in hostiles acies prorumpere primus
Ut soleo, quum bella vocant, & in omnia Martis
Irruere ambigui funesta pericula; coram
Conveniat conferre manum, bellumque ciere,
Seu densas aperire jubes horrentibus umbris
Sylvas insidiis structis, seu valle profunda

Sta-

Stagna refusa vadis, & nescia flumina adiri,
Saxosam vasto volventia murmure molem,
Tentare; illatus montani prima fluenti
Vestigia exultans tento, volucrique natatu
Præverto liquidos fluvios, celebresque superbi
In laudes Martis propero: sic commoda pacis
Hau dquaquam erubeo coram arma gerentibus, ut fert
Hora, tibi totis, o Rex, exposcere votis,
Et patriæ exoptare meæ. Quia funera quanto
Sunt optanda minus vita, minus ægra valenti
Temperies hominum membris animisque salute;
Quanto divitiis felicibus æris egestas
Optatur minus, & jactatis æquore nautis
Tempestas, placidoque salo, portuque salubri;
Tanto optanda magis pax est discrimine belli,
Haud potior tantum bello, sed ab hoste triumphis
Sanguinea innumeris dextra per vulnera partis.
Optima pax rerum, superi quas nosse sagaci
Concessere homini; pax aurea sæcula terris
Quæ tenuit, dum culta fuit, virtutis alumna,
Agrorum frugumque potens, æquare beatos
Mulcendo cives, & conservare salutem,
Regnaque, & innocua populos ditione tenere
Sola valens, & sola armis ferroque cruento
Digna peti: nam pace frui possimus ut alma,
Armamus ferro dextras, & jure ciemus
Vindicibus Martem cristis, hastaque potentem.
Otia si ferro petimus, si tendimus ergo
Uulnera per, dirasque neces, bellique pericla
Huc, omnes tandem tranquilla ut pace fruamur,
Lætitia, & festis passim sermonibus, inter
Conjugia, agnatosque domi, lepidosque sodales,
Natarumque choros pulsa formidine lethi;
Quis vetat hoc tibi me, regum fortissime, tandem
Optare, extremum peteres quod ab hoste subacto?
Nec melius posses quicquam, licet omnia posses.
Quare

Quare ego depoſito peterent ut fœdera ferro
Optarem Galli rurſus, magnoque ferirent
Pignore amicitiæ. Nam quo, pro Juppiter! orbem
Ornaret facilis cæleſti munere noſtrum,
Fœderis in pignus; virgo ſi regia mitti
Cederet, atque tuos thalamos nova nupta bearet?
Qua Venus alma minor forma eſt, virtute Minerva,
Et Jove digna minus, quamvis Saturnia Juno.
Nunc ſtandum, & quid agant hoſtes a clade manendum
Cenſeo: conſilium dabit hora atque hoſtis amicum.
Hæc poſtquam eſt effata ducis ſub imagine falſa
Diva Paphi, genubus veteri de more reflexis
Oſcula regali libavit mollia dextræ;
Et Jovis Idæi memor, & Junonis odoræ,
Contactu inſpirans occultum ſenſibus ignem
Implicuit tacitos æſtus, & pectora flammis
Mollia commovit ſolitis. Tremuere veneno
Tabifico gelida ora viri, ſubituſque colorem
Purpureum infecit pallor, rurſuſque rubore
Incaluit ſubito vultus: ſuſpiria venis
Ima trahit, nec adhuc tractis quid poſtulet illis
Novit, & occultos alit imis ſenſibus æſtus.
Jam vidui tædet lecti, jam gaudia fingit
Ipſe nova, & ſe ſe numeroſa prole parentem
Concipit; invideat Niobe cui Tantalis ante
Quam Latonigenæ bis ſeptem cædibus orbam
Compulerint altis mortalem cedere Divis.
Nunc pavet armati tollant ſua gaudia Galli,
Et pacem tædaſque negent: rabida æſtuat atrum
Bile jecur, totaque invita gente Pipini,
Rapturum in ſævis Reginam dejerat armis,
Nec magna ſine clade patris: furit omnia virus
Oſſa per & venas, fibriſque tenacibus hæret.
Uritur, & totis jam regnat flamma medulis,
Totus & in dominæ vultus, quos finxit, aberrat,
Conceptis ſibi mente pares: exæſtuat uno

N Hoc

Hoc desiderio, domina cum pace fruendi,
Vel certe tota gentis cum cæde Pipini.
Qui tacita dum mente furit, spectante suorum
Concilio, & belli de rebus jussa manente;
Ecce trahebantur magno clamore sine armis,
Hostibus armatis medii per castra comantes
Legati, pacis ramos & dona gerentes,
Et recta ad magni tendebant ampla Philippi
Fulgenti perfusa ostro tentoria, & auro.
Ergo in conspectum postquam venere sedentis
Sublimi solio regis, coramque loquendi
Copia facta, gravi Lorenus pectore fatur:
Maxime, nate deis, deus ipse future, Philippe,
Fama ingens, major pietate, ingentior armis;
Galli te miseri, bellorum incommoda cuncta
Permensi, oramus veniam, pacemque precamur.
Responsis moniti divum, victique fatemur
Commisisse nefas, sceleratáque bella petisse,
Rupimus augurio cum fœdera pacis iniquo.
Nunc tua nos, superum similis, clementia rursum
Optatam sperare & coram poscere pacem
Movit, & ingentes animos ingentibus ausis
Præbuit. Ecce ultro jugulos, & inermia colla
Offerimus ferro. Juvat incrudescere? sontes
Tolle animas miseris, & iniqua in tartara mitte.
Sin, quod promittit pietas tua, maxime regum,
Gallorum fessas propior res aspicis; en te
Muneribus donat dignis Henricus amicum
Clavibus his centum, centum quibus oppida nostra
Capta manu quondam, & regnis super addita avitis,
Clauduntur, spolia Italiæ, dum fata sinebant.
Nunc pacis pretium, & sociorum grande tuorum
Pignus amicitiæ, argentique aurique talentis:
Insuper his addit formaque animoque beatam
Egregio genero natam, dignisque hymenæis.
Parce pio generi, subjectis parcere major

Glo-

Gloria, & orantis veniam cape munera Regis.
Hæc fatus, pariterque omnes eadem ore fremebant
Gallorum proceres, & munera læta ferebant.
Hesperius tunc vir solio sic inquit ab alto:
Quæ vos, o Galli, fata implicuere nefando
Bello? vel quæ me fortuna lacessere suasit
Improba, qui toties rupistis fœdera pacis,
Et mecum certare armis voluistis iniquis?
Nunc veniam oratis, nunc pacem poscitis ultro.
Ipse equidem atque lubens concedo, bella nec amens
Sponte gero, aut varii tento discrimina Martis.
Nec veni, nisi bella locum factura putassem
Æternæ paci, & mundo paritura quietem.
Nec mihi cum Gallis bellum, Rex sancta recidit
Fœdera: quæ quoniam cupit instaurare, novisque
Accumulat donis, sociisque erepta rapina
Oppida restituenda datis mihi clavibus offert;
Accipio, & lætor causas rescindere belli.
Connubium exopto, pacemque hoc fœdere sumo.
Dixerat, ac inter proceres progressus ad aras
Flagrantes, ferri jubet intonsamque bidentem,
Setigeræque suis fœtum. Stat veste Sacerdos
In pura, miscetque gravis crateribus auri
Dulce merum; pecus inde pavens flagrantibus aris
Admovet, & cultro vaginæ e parte retecto
Majoris gladii, media de fronte revellit
Villos ambarum pecudum, procerumque catervæ
Distribuit, gelidæque viros aspergine rorat,
Dans salsas fruges; tum pocula libat Iacchi.
Atque oculis cælum, & gradientis lumina solis
Suspiciens: Animis, inquit, votisque favete,
O proceres, facilesque dei rata vota secundent.
Hunc ego nunc solem, terras qui lumine lustrat,
Cornigeramque voco Phœbem, triplexque Dianæ
Numen, & hanc proprio subnixam pondere terram,
Vitalesque auras, & cærula numina ponti,

Bel-

Bellaque torquentem vario ſub numine Martem.
Audiat ipſe pater divum, qui fœdera ſancit
Fulmine; tango aras, igneſque & ſidera teſtor,
Fonteſque, & fluvios, infernaque regna ſilentum:
Nulla dies pacem hanc rumpet, nec fœdera Gallis
Hiſpaniſve, leves hominum quocumque cadant res.
Non ſi ſideribus concurrant ſidera, pontum
Aſtra petant, Phœbus nocti, vel Luna diei
Præſit, & in terra piſcis natet, æquore taurus
Incedat, nulloque undai vortice merſus,
Nereidum cornu fiat metus & pavor unco.
Improbus hæc contra ſteterit quicumque nefando
Aut facto, aut dicto, ſuperum cadat hoſtia, dextra
Ceu pecus hoc noſtra. Jugulis tum miſit apertis
Ancipitem cultrum pecudum, tum rite ſacratas
Eripit ad flammas crepitantia viſcera vivis,
Accumulatque merum, & pleno ſe proluit auro
Ante aras; ſequitur conſenſus, clamor utrimque,
Alternæque jubent ſe ſe ſalvere phalanges
Æterna pace, & fragrantia vina propinant.
Tum pater Heſperiæ, divumque Philippus & idem
Progenies, jubet abſolvi quæ corpora capta
Gallorum bello, ſoceroque ſoluta remittit.
Liberat Hiſpano Samaram tum milite, & ingens
Hoc Iſabella tibi primum dat pignus amoris,
Egregio divi Quintini inſigne ſepulchro;
Emiſſoſque facit Gallos. Illi oſcula libant
Regali dextræ, & læta cum pace recedunt.
Tum vero aptari claſſem, ſocioſque parari
Imperat; imperio parent, & juſſa faceſſunt
Ocyus, atque omnes tendunt ad littora curſu,
Conſcenduntque rates hilares, atque æquora verrunt,
Heſperioſque tenent portus, amplamque Toletum,
Expectantque novam nuptam, ardeſcuntque morando.
Illam ſed viduo genitrix lugubris amictu,
(Henricum fata abſtulerant per certa ſuorum
Vul-

Vulnera, & haſtarum certamina, ludicra quamvis
Attamen armorum conflictu noxia veris
Sæpe magis; numero divorum & ſedibus ille eſt
Additus) ingentis tenuit ſolatia luctus,
Donec completo promiſſi tempore lecti,
Lugebat proficiſcentem, demumque petentem
Optatos pridem thalamos, pactoſque hymenæos,
Sæpe genis, & ſæpe oculis tenera oſcula natæ
Cedentis figens: Propera, cape præmia formæ,
Inquit, nata tuæ, fruere & quibus ignibus arſti.
Perge age, perfruere optatis regina hymenæis,
Et quem debueras generum mihi, jam mihi redde,
Urgentem promiſſa ſibi, ſacrumque, moraſque
Damnantem indignas, flammaque abſolve voraci.
Quos debes, jam redde mihi nova nupta nepotes,
Dignos Carolo avo, dignoſque parente Philippo.
I, fruere Heſperiæ ſceptris; i, filia, mundi
Imperio felix, ſed feliciſſima tali
Nupta viro; i tandem, noſtrique haud immemor eſto.
Quam luctus lacrymæque manent, quas ipſa levabas,
Haud aliter quam quæ captæ poſt pergama Trojæ,
Hectoris & Priami cladem, miſerandaque Teucrum
Funera captivæ genitrici regia virgo
Imminuit mœrens, donec divulſa parenti
Juſſa eſt crudeles placare Polyxena manes.
Tu vidui mihi ſola tori ſic nata levamen,
Sic ſolamen eras, iſto ſub pectore patrem
Dum geris, atque iſtis oculis, & mellea matrem
Ipſa dolens mœſtam verbis ſolaris amicis.
Perge tamen, matremque tua ſolare ſalute;
Te quoniam, incolumique tuo, mea vita, Philippo,
Ipſa licet caro jaceam fraudata marito,
Attamen haudquaquam infelix, aut orba videbor.
Talibus inſequitur lacrymans: planxere Napææ
Sequanicæ, Nymphæque omnes Rhodanitides, & quas
Phrudis alit, quaſque altus Arar, claruſque Gerumna,
Atque

Atque Ileris, Varusque pater, Mosæque fluenta,
Argenisque liquor, & pingui Siccarus amne,
Et vitreis quæcunque undas plenissima ab urnis
Spumantes late fundunt per Gallica rura
Flumina, suffusæ lacrymis, & pectora palmis
Percussæ, dominam patria spectare dolebant
Cedentem: niveas exerta Cyrina papillas,
Blanda Hyale, vitreisque comis prolixior Atte,
Crispa magis Dorace, sed forma pulchrior Ægle:
Ægle pulchra genas, teretesque argentea mammas,
Clyoque, & niveis fulgens Arethusa lacertis,
Cæruleoque sinu Cloto, & pulcherrima Tyro,
Et superans cantu Phœbum formosa Legæa.
Pulchra omnes forma Nymphæ, tum Celtides omnes,
Omnes ambrosioque sinu, passisque capillis.
Illa sed, Eois ceu qua plenissima ab undis
Fraterna de luce micans nova Cynthia surgit,
Ibat, & oppositæ nullius lucis egebat,
Ipsa suo fulgore nitens, vincentibus ipsos
Stellarum radios, nec non Latoidos ignes
Luminibus, purumque comis superantibus aurum,
Marmoreos circumque humeros, & eburnea fusis
Colla: suis prudens quas si præponat Apollo,
Haud unquam obscura metuat caligine cælum
Mergier, alternas noctemve adipiscier horas.
Et quæ colla suis si præferat aurea Phœbe;
Ordine mutato, noctis moderamina fratri
Linquat, & oppositæ præsit regina diei.
Talis ab Oetheis virgo Junonia flammis,
Æternæ referens pacis cælestia dona,
Venerat Herculeos emollitura furores.
Talis & ipsa deum genitrix regina, Jovisque
Et soror & conjux, post patrem in tartara missum,
Victori superum quum se se pulchra tyranno
Obtulit, in partem sceptri ventura thorique.
Qudrijugis invecta rotis sic diva paratu

Ma-

Magnifico graditur, Nymphis stipata decoris;
Sparta quibus, comites quamquam præbere Dianæ
Dicitur, ipsa tamen concedat Sparta, dearum
Nec Spartanarum vinci Regina recuset.
Is decor, & pulchræ cunctis ea gratia formæ,
Is cultus fuit, atque operum doctrina Minervæ.
Hauserat aeria e specula nimbosa Pyrene
Cornipedum longe fremitum, strepitumque rotarum
Urgentum vasto solidam sub pondere terram,
Edentumque procul resonum rigido ære fragorem.
Et perculsa novo sonitu, turbæque tumultu
Per campos celeri passu venientis; ab alta
Protulerat grave rupe caput, glacieque perusta
Ora, pruinosum collustrans undique montem.
Attamen ut venientem illam de vertice summo
Agnovit longe, atque oculis interrita vidit
Sidereum decus; obducta disjecit opacas
Fronte procul nebulas, locaque undique luce replevit,
Brumalesque nives dorso, pluviamque capillis
Excutiens glacie hyberna, & rorantibus imbre;
Ad socias se se sylva interiore recepta
Contulit, intentasque operi de more Minervæ,
Sedula Bebrycias vocat hæc ad gaudia Nymphas.
Emicat, eja agedum, mundi decus, emicat almum
Sidus, & o nostri, Dryades, nova gloria secli,
Progenies superum neglecto accurrite monte.
Eja agedum, facilemque viam præbete secanti.
Illa genus vestrum augebit. Simul incita apertum
Emicat in montem: Dryades subiere sequentes,
Floricomos niveis carpentes passibus agros.
Quas inter lauro crines redimita virenti,
Frondosum nemore in medio caput extulit ipsa
Pyrene, & placida venientem voce salutat.
Salve virgo, decus mundi, salve inclyta divum
Progenies, divos olim genitura nepotes.
Tantane cura tui Superos coquit, unica ut omni
Fe-

Femineo e cœtu venias ſocianda Philippo
Connubio ſtabili, thalamiſque dicanda beatis,
Invideat quibus alma ſoror conjuxque Tonantis?
Felix, quæ regi tanto, tot ſceptra tenenti,
In partem cedes thalami, imperiique ſuperbi.
Fortunata, quibus mundi regnabis in oris,
Quotque tuis hominum parebunt millia juſſis!
Audaces animas, & neſcia corda timoris
Alma ubi terra parit, nec corpora fortibus auſis
Apta minus, promto firmiſſima pectore, & amplis
(Quamquam aliæ ſuperent procero vertice gentes)
Lata humeris, claræque decentia munere formæ,
Et dubium ingeniis magis, an pollentia dextris;
Arma inimica quibus totum domuiſſe per orbem
Non contenta, premunt alium extra littora mundum
Oceani ſoliſque vias, ubi nulla Bootæ
Sidera, & Arctoi nullum micat ætheris aſtrum:
Altera ſed polus adverſum devexus in auſtrum
Aſtra Helices, alios Arcturi detegit ignes.
His, Regina, viris dominaberis; hi tua læti,
Qui mundum domuere, ferent regalia juſſa,
Accipientque ultro leges, mandata capeſſent;
Idque his in mundi regionibus, alma ubi tellus
Dives equis, armiſque, viriſque, omnique metallo,
Heſperium ſublime tulit ſuper æthera nomen.
Ergo iterum, decus o mundi, ſalve unica terræ
Gloria, belligeri quæ ferrea limina Jani,
Et tetro horriſonum compeſcis carcere Martem.
Pax alto demiſſa polo, cæloque favente
Orta ſalus terris. O qui nunc læta paratis,
Hiſpani Heroes, ſpectacula; pergite cannis
Certare, & jaculis tauros agitare feroces,
Ocia dum, poſt tot famæ præconia, poſt tot
Laurigeris partos dextris ex hoſte triumphos
Ducitis, & genio tandem poſt arma vacatis,
Et merita optatam Reginam in ſede locatis.

Vos

Vos olim Libycæ sulcator Bragada arenæ
Excipiet placido victores amne, subacto
Effræni Numida, cæloque minacibus urbis
Mœnibus, aeriæ dicta de nomine Rupis.
Vos longa ut pressam Melitem obsidione levetis,
(Insignem Melitem catulis atque arte Minervæ)
Cæruleum panderis iter, lateque sonanti
Ære reluctantes sulcabitis æquoris undas;
Inflatamque sinu classem ducetis in hostem,
Armorum cædisque avidi; vesanaque flammas
Sulphureas jacient tormenta, feroque tumultu
Plumbea grando, Jovis velut ignea fulmina dextra
Missa manu horribili tonitru, concussa volabit.
Non tamen hanc Arabum turbæ, non ipse cruentus
Ductor Agenoreæ classis, regnator Idumes,
Perferet; in trepidos sed vertens terga natatus,
Signa Erebo veritus metuenda, Erebique tyranno,
Ecce fugam arripiet; disjecta classe per æquor
Ecce ruet, nec in ora caput convertere vestra
Audebit, celeres nec respectare carinas.
Sed trepidans ac mentis inops, tantumque fugaci
Confidens bello, & pulsantibus æquora remis,
Vix tandem effugiet, locaque obsidione levabit;
Gramen Agarena Meliteum classe fugata
Carpendum in celebres, palmæ monimenta, coronas
Militibus vestris, & digna trophæa relinquens.
Vobis e Solyma referentibus urbe triumphos
Ipse pater Jordanus aquis occurrere sacris
Lætus, Idumæas dabit in præconia palmas.
Ipsa vetus magni Pompeji exuta trophæum,
Palmiferis devincta comas & tempora sertis,
Lætabor spoliis Galilææ gentis opimis.
Tu, Regina, viam perage, o sata sanguine regum,
Et reges paritura. Tibi dabit ense Philippus,
Progenies numerosa olim quibus imperet, orbes.
Sylvarum sic nympha potens effata Pyrene,

O Sub-

Submisit caput umbriferum, genubusque reflexis
Admisit Reginam humeris. Per gramina nymphæ
Carmina concinna modulantes mollia voce,
Ambrosios mira arte pedes & membra regebant,
Virgineo tremulos variantes corpora motus.
Talia (sed Dryades celebrant dum gaudia cantu,
Et pedibus plaudunt choreas ad carmina motis;
Progreditur Regina viam, scopulosaque cursu
Verticis aerii superat juga, collis ab arce
Divisos Celtis quæ prospectantia Iberos,
Vicinis æterna tenent divortia regnis.
Nec mora, quos fama est longa obsidione coactos,
Et belli passos extrema pericula, fortes
Produxisse animas humani sanguinis escis
Vasconas, & placido quæ flumine mœnia lambit
Arga pater; penetrat, Pompeji structa labore.
Inde Numantinas arces, redivivaque carpit
In cineres resoluta olim Palatia flammis,
Quas cives struxere sibi, manibusque paratas
Et proprio accensas flatu subiere, tuentes
Ut decus antiquum, generosaque nomina gentis;
Hostibus eriperent præclara morte triumphos:
Ignibus injectos sua nempe, haud extera virtus
Perculit. Hinc Caracæ portis miranda propinquat,
Et tandem attonitæ expectata illabitur urbi.
Tunc zona præcincta Venus, quam fibula nectit
Aurea, præludit graciles mitrata choreas,
Assuetosque choris comites regit. Illicet arte
Aut curvas pulsant citharas, aut voce canentes,
Ad numeros jucunda pedum vestigia librant,
Et multis, Hymenæe, vocant te, dexter ut adsis,
Cantibus & vario strepitu fervente chorea.
Ille choris mira respondens dulciter arte,
Vibrabatque faces, marcescentesque coronas
Quassabat, castoque parans nova vincla cubili,
Carolidem multa repetebat voce maritum.

Ca-

Carolidem ingeminant arcu pharetraque maritum
Armati Veneris pueri, saltantque, canuntque,
Et simul indigenis intendunt spicula nymphis,
Formosumque iterant Hymenæum, & vulnera torquent.
Ille quatit tædas, & vincla jugalia nectens
Applausu sponsam vocat, applausuque maritum,
Membraque non uno librat sub carmina motu.
Responsat chorus applausu, sponsamque maritumque
Ingeminat, varioque regit vestigia passu,
Inque vices terram pedibus, saltante chorea,
Et cœlum tremulis pulsantes cantibus, ambos
Laudibus extollunt miris super æthera Reges.
O lapsi cœlo terris, o lumina mundi,
Aspirante polo, nimiumque faventibus astris
Hesperiæ concessa! feri post funera Martis,
Exactas post tot cædes, dirosque labores,
Vindicibus vobis ut terræ pace fruantur
Æterna, & populos pacata Astræa revisat.
Illustres animæ, sæcli decora inclyta nostri,
O macti virtute ambo! vos effera Martis
Pectora, vos diræ Bellonæ horrentia cristis
Arma colubriferis, rabidi vos ora furoris
Pacastis placidi, pacemque in sæcla dedistis.
O Virgo, superum soboles! o gloria terræ!
O nulli cessura deum! Felicia, quæ te
Gestavere sinu jam viscera; lacte beata,
Admovit primis quæ nutrix ubera labris!
Ipsa quidem ante alias felix Isabella, potensque
Connubio tali, regique dicanda Philippo.
Ipsa etiam ante omnes o terque quaterque beatus,
Optata qui te potietur conjuge, matrem
Qui faciet, superisque ipsis æquabit honore.
O sine fine deis tellus gratissima, quæ te
Reginam agnoscet, nulli pietate secundam,
Relligione, fide, forma, probitate, pudore!
O digno jungenda viro, parituraque dignam

Cœ-

Cœlicolis prolem : tibi quid fortuna dediſſe
Exceptis potuit cælis hoc conjuge majus ?
Quid ſuperi potuere alii ? quid Juppiter ipſe,
Juppiter æterna qui ſidera lege gubernat,
Telluremque premit ? Felix ſed Iberia, felix,
Ter felix rectore tuo, quem ſidera Marti
Præponunt, natoque Jovis (cui vaſtus Avernus
Victori ceſſit, cui triplex Cerberus, & cui
Vorticibus Phlegethon nigris, atraque favilla)
Amphitryoniadi magno ; quo Rege Gigantes
Succeſſiſſe Jovi nolint, cui regna relinquat
Saturnus, quamquam abſciderit ſibi falce catenas,
Queis ſenior pulſus regno ſine honore tenetur..
Tanta viri virtus, quoniam conſtantia tanta,
Tanta eſt temperies, animique tenacis honeſti
Et vigor, ingeniumque, & apertæ candida mentis
Simplicitas, antiqua fides, probitaſque, pudorque,
Sobrietas haud ficta, & nulli obnoxia fraudi
Credulitas : tum tantus honos, & gloria dextræ,
Tot ducti ingentes Capitolia ad alta triumphi,
Barbariciſque dei tot templa ornata trophæis;
Nullus ut immenſi, cælo aſpirante ſereno,
Dignior undantes qui rexerit orbis habenas,
Gratior aut ſuperis fuerit, vel amantior æqui ;
Antiquum licet ipſa Numam ferat inclyta Roma,
Victaque Pellæum jactet licet India regem.
Vos Arabum turmæ ſcitis, vos agmina Turcæ
Juſſa triumphales præcedere victa quadrigas,
Quantus erat, quum vos Libyci maris expulit ora,
Atque Aphrodiſiacas metuendus ſubdidit urbes.
Quantus ubi effrænes Numidas, Mauroſque rebelles
Proſtravit gladio, Arnugera Menynge ſubacta :
Aut generoſam iram ſacri quum pectoris ultro
Moviſtis, longa premere obſidione Madauram
Aggreſſi, diroque laceſſere milite muros.
Nam quibus o lacrymis, qua vos pro talibus auſis
Affecit

Affecit clade, & trepidos quo funere mersit?
Palmiferæ trepidavit atrox regnator Idumes,
Atque fugax Parthus, Persæ, Medique vagantes
Extimuere procul, seque occuluere sub antris.
Sed quota pars laudis Lybiam vicisse, feroces
Quem Galli metuere, ultriciaque arma moventem
Nec Samarobrinæ turres repulere, nec alta
Mœnia Geldrudis, nec Scheldis lata fluenta
Omnia vastantem ferro? quem Thuscus, & acer
Quem Ligur, & Venetus prudens, fortesque Latini,
Quique colunt Nymphæ servantia regna sepultæ
Numen, & Insubres vertunt qui vomere campos,
Invictum videre ducem? quem Saxones armis
Depicti, atque truces Germani, Hessusque, comaque
Flander ovans nitida, rigidisque Menapius armis
Extimuit, cessitque viro? quem regia virtus,
Qua patet undisono tellus circumdata ponto,
Unum frugifero docuit dominarier orbi;
Officiisque armisque viros vincire sub uno
Fœdere, & armatum leges, mansuraque terris
Jura dare, atque omni populos ditione tenere,
Regnaque ad arbitrium regere, & componere nutu
Civiles hominum mores, cultusque deorum,
Sacrorumque ratos ritus super omnia nosse;
Atque eadem in cunctas mundi transmittere gentes.
Cui solers animi vis, præsagumque futuri
Pectus inest, dubios promtum prænoscere casus,
Eventusque leves rerum, sortemque biformem;
Cor prudens, agilisque vigor, & copia mentis,
Consiliique potens sensus melioris, & acres
Pellere sedulitas curas, & flectere mentem?
Quo nusquam melior vel sacras condere leges,
Et miranda suis reserare oracula regnis.
Vel forti pugnare manu, & prosternere turmas,
Seu validis immitem hastam torquere lacertis,
Seu vibrare juvat gladium, & consurgere in hostes;

Aut

Aut ſpumantis equi duris premat ora lupatis,
Contendatque feri fremitus, rapidoque rotatu
Urgeat in gyros; vel cum ruiturus in hoſtes
Deſiliit, pedibuſque ferox horrentia miſcet
Funera, ſanguineoque fremens ferit agmina ferro,
Et volvit volucres oculis ardentibus ignes.
Nunc illum thalami, nunc caſti ſacra cubilis
Clauſtra vocant, Geniuſque pater male lucis amator,
Et poſt tot lauros, poſt tot præconia famæ
Parta viro, ſacer ad tædas atque otia ducit.
Et tu pulchra, toro tanti dignanda mariti,
Iſabella venis, thalamiſque dicanda beatis
Connubio ſtabili, & pulchro ſocianda Hymenæo.
Lætitia exultat tellus, exultat olympus,
Gratanturque tibi, atque animum teſtantur amicum.
Omnia læta tuis elementa vagantia tædis.
Quare agedum comites & nos gratemur ovantes
Reginæ, meritoſque deæ properemus honores.
Tu roſeas myrto, Concordia, necte catenas,
Queis facilis teneatur amor: tu, Gratia, dulci
Nectare ſparge domum late: vos multa, Lepores,
Nectite venturæ felicia gaudia nocti.
Nam jam pulcher Hymen, miti redimitus oliva,
Luxuriat ſplendens oſtro, & regalia luſtrat
Limina. Perge, puer, tædas attolle ſecundas,
Floricome heus formoſe, heus dulcis tædifer, heus, heus,
Vincte comas ſertis, thalamos vincire pudicos
Cui fas, qui caſto religas ſub fœdere mentes;
Perge faces vibrare manu, tibi nulla pharetra
Ex humero, nullus pendet tibi lethifer arcus;
Pro Lycio ſedenim ſplendet fax pinea cornu;
Pro levibus rutilat cuſpis flammata ſagittis.
Plumbea nulla moves, ſed fulvo tincta metallo
Tela; nec immitis lethalia vulnera vibras,
Pectora ſed pigro quæ frigida habere veterno
Nulla ſinant. Perge ergo, puer; perge, optime; tædas
Tolle

Tolle manu : jam fulget equo nova gloria pubis
Hesperiæ, multumque patrem gerit ore Philippus.
Ure puer, puer ure virum : jam virginis ille
Hæret in obtutu, visu defixus eodem.
Porge faces, nunc porge faces, atque ure puellam.
Hoc tibi concessum est soli ; nam nostra pudoris
Haud potuere decus tam rarum lædere tela.
Quamquam sæpe in eam totas laxare pharetras
Contigit, incassum quoniam curvavimus arcus,
Incassum auratas excussimus usque sagittas.
Talibus exultant hilares, & pollice docto
Aut pulsant ebore incurvo discrimina septem
Chordarum, totidem numeros facientia vocum ;
Mobilibusve pedum modulis ad carmina saltant
Admixti indigenis volucres cum Cypride Amores ;
Exercentque choros, & læti spicula torquent
Aurea, quæ juvenes passim, feriuntque puellas,
Et tacitis cæcos immittunt cordibus ignes.
Attamen ut, progressa domum, Regina subivit
Splendida regali luxu palatia, fratres
Mille pharetrati funalia ducere longo
Ordine, venturasque rogis superare tenebras
Expediunt. Tyrias alii prosternere vestes,
Aut rapidis lucos flammis adolere Sabæos,
Aut nitidos myrto pergunt contexere postes.
Pars dapibus mensas onerant, pars pocula ponunt,
Pars vigili noctem contendunt fallere ludo ;
Ast alii gravibus gemmis, auroque rigentem
Ædificare torum. Surgunt adamante columnæ,
Despectusque gemit sub pondere postis achates,
Alternis radiat hyacinthi sponda smaragdis,
Permutatque procul luces : de murice surgit
Dives apex, velumque immisso internitet auro.
At Reginæ humeris, membrisque micantibus aptat
Ipsa Venus pallam, mundi qua diva figuram
Texuit, & dominæ gestandam præbuit orbis.

Præ-

Præfulgentem auro pallam, gemmisque coruscis
Implicitam, aspersasque comas sub nectare largo
Idalia distinguit acu, cingitque corona:
Ipsa sinus auro substringit diva fluentes,
Ipsaque virgineo suspendit flammea crini.
Tum Regem mundi imperio Cytherea beatum
Imperat acciri: præsto fuit ille, recenti
Qualis erat mundi imperio Saturnius, aut quum
Vere novo plenus toto micat æthere Phœbus.
Non humeris, neque honore minor matura juventæ
Pubescit roseis tollens se gloria membris.
Tum dextram Cytherea viri, dextramque puellæ
Complexa, antiquam pariter deducit ad aram,
Aram sublimem cæli terræque parenti,
Virginis intactæ Nato, Dominoque deorum,
Quin soli veroque Deo, Dominoque dicatam.
Quam postquam subiere animis concordibus; & te,
Æterni soboles patris, qui cuncta gubernas,
More patrum rituque sacro sunt multa precati,
Obducti vittis capita; his mysteria dictis
Subsequitur Regina Paphi, & connubia sanxit:
Vivite concordes, & munera discere nostra
Auspiciis properate bonis. Sit fœdere vester
Æterno conjunctus amor: desistite lectum
Jurgia, & effrænes rixæ infestare beatum.
Hæc alios vexent thalamos, ubi tigride pejor
Nupta, vel occulti male conscia criminis, acres
Dat gemitus simulans, ficta vel pellice notas
Ubertim fundit lacrymas ad cuncta paratas,
Et promtas manare modis, quibus imperat illa:
Vel gravis uxorem conjux ubi litibus urget,
Atque domum rabidis vacuam clamoribus implet,
Impatiens subiisse toros fortasse minores,
Aut tectis reperisse nefas. Vos fœdera lecti
Alterna firmate fide, commerciaque almi
Intemerata tori casto miscete pudore;

Et

Et pro jure tori pietatis jura paternæ
Linquite, conjugiumque perenni ducite amore,
Et niveos explete dies, noctesque ſerenas.
Tu primum, Virgo, tantum officioſa maritum
Obſequio ſtudioque colas: tu conjuge tanta
Perfruere, o patriæ decus immortale Philippe.
Quod ſupereſt, Cæli eſt tanto dare digna cubili
Pignora, miretur quondam quæ cana vetuſtas,
Et ſuperare ſuos ſtupeat virtute parentes,
Et toto imperiis late dominarier orbe.
Dixit, & ipſa arcum læva, dextraque ſagittam
Eripuit, pariterque virum, pariterque puellam
Certa petit, pariterque utrumque affixit arundo,
Securumque viris pariter ſpiravit amorem,
Et ſonitum facere reductis cornua nervis.



TAURUS ET CANNARUM
LUDUS
IN NUPTIIS D. D.
PHILIPPI ET ISABELLÆ
HISPANIÆ REGUM.

PUblica terrifici canimus ſpectacula Tauri,
Commiſſoſque feræ pugiles, ſimulacraque belli
Ludicra, cetratas acies, levibuſque rigentes
Cannarum jaculis, ſimulataque prælia veris,
Nunquam carminibus vatum tentata priorum.
Vos aperite viam, Nymphæ, quæ Bethis alumnæ,
Reginam coluiſtis, equos quæ prima feroces
Oppoſuit trucibus tauris, haſtaque trabali
Adverſos confodit eques, & ſtravit arenæ;
Erroreſque, viaſque, & cæca volumina curſus
Quæ docuit, monituque brevis ſpumeſcere fræni:
Seu recta glomerare pedes, ſeu carpere gyros
Imperet, anfractuſve, orbeſve rotare citatos;
Seu ſudare loco, properoſque ardeſcere eodem;
Fervere & ſimiles currentibus, haud tamen uſquam
Cedere, ſed ſemper ſpatiis hærere in eiſdem:
Primaque quæ phaleris capita alta & colla ſuperbis
Ornavit, ſuperadjiciens quæ plurima liquit
Digna pater, veſtroque ſolo genitore relicto,
Et patria, & ſceptris, thalamoſque ſecuta mariti,
Inclyta arundineæ luſit certamina pugnæ.
Tuque adſis, decus Heſperiæ, quo ſceptra tenente,
Nulla Jovis terras tenet invidioſa cupido.
Nil magnum ſine te, noſtris & viribus impar

Ag-

Aggredimur ; tu ſancte fave , tu ſuſcipe vatem ,
Dive , per abruptas properantem ſiſtere rupes
Audaces greſſus , atque invia tendere contra
Monſtra novis auſis : Tu ſi per inhoſpita euntem
Saxa regis , juvat ire viam , qua me rapit ardor ,
Qua furor , atque animi jubet imperioſa cupido .
Venerat alma dies , Veneri qua ſacra parabat
Solvere , & auricomo ſolemnia feſta Hymenæo ,
Optatis lætus thalamis & conjuge diva ,
Heſperius , Caroli ſoboles auguſta , Philippus .
Et jam Mygdonio ſurrexerat alma cubili ,
Depuleratque polo cæcas Aurora tenebras ,
Rore comas excuſſa , genaſque ornata rubore ,
Non procul ignita properantis lampade Phæbi :
Quum pater aurata circum Tagus æquora concha
Ingentis caveæ plenis canere aſpera buccis
Prælia , terrificos tauros , quos herbida paſcunt
Rura , pater Xarama caput quæ conditus alga
Abluit , & verſa fœcundat prodigus urna ;
Commiſſaſque acies cannis , ſimulacraque pugnæ
Horrida , & auriferis Nymphas excire ſub undis
Fluctivagas , frontemque ſacra redimitus oliva ,
Impexamque comam , & rorantem nectare barbam ,
Luſtrare immenſam Toleti mænia molem ,
Cetratoſque tonare equites , tauroſque feroces .
Hiſpanas vaga fama urbes , longinquaque late
Oppida multiplici rerum ſermone repleræt ,
Excieratque viros populis , matreſque , nuruſque ,
Et dulces juvenum curas , formoſa puellas
Corpora , virgineis ignem inſpirantia membris .
Appulerantque viis plenis , qui littora ſulcant
Bethis oliviferi , vitreis qui vellera dives
Aurea tingit aquis , Bromio cariſſimus amnis ,
Cecropiæque deæ ; quondam qui Theſſala regna
Quadrupedes ſtudio viſendi , fortibus auſis
Ivit , & arrepta cum virgine ſemina equorum
Duxit

Duxit in Hesperiam ; geminas quique incolit aras
Temporibus sacras brevibus longisque colonus ,
Qui genus a Tyriis repetit ; quique ardua Calpes
Laudibus Herculeis tenet arva , ævoque superbus
Vivacis pronepos Argantoni Illipus ingens ,
Atque Eliber cocci dives , & mellis abundans
Mellarus , & Sexus , necnon Astigis , Obulco ,
Et solitus nitido argento præsepia anhelis
Turditanus equis cælata apponere , & Astur
Pressa pedum spumantis apri vestigia doctus
Pone sequi , & sylvis excitum assurgere in hostem ,
Et prosternere humi , & multa tellure jacentis
Fulmina Marmarici dentes imitantia barri
Spernere , & hydrarum referentes corpora setas.
Tum quibus arva rigat peramæno gurgite Iberus ,
Unde suum felix perhibetur Iberia nomen
Sumsisse , & rigidis ædem posuisse colonis ;
Augustamque manus quæ Cæsaris incolit urbem ,
Pompejique procul quæ mænia ; quæque Lyæo
Non nisi Campano concedit Tarraco , quæque
Imminet undifrago pulcherrima Barcino ponto :
Inclytaque Ausoniis Grajisque Valentia chartis ,
Prima urbes longe ante alias , partuque beata ,
Chironem Hispano quæ te dare novit Achilli
Florentem gemina lauro vatisque ducisque ,
Maxime Honorate , ac magno præfecit alumno
(Grandi operi !) & regi formando tradidit orbis .
Tum Vasco insuetus galeæ , quique æquora sulcant
Cantabrica , & scabros nigra ferrugine campos :
Et veteres Burgi , anne magis te , Petre Ruyzi ,
Sospite felices , titulis quam forte superbis ,
Vel patriæ regum , capitis vel honore potentis
Hesperiæ ? illustris numerent seu stemmata gentis ,
Et Villegatum longos ab origine patres ;
Seu magis excelsæ virtutem mentis , & acre
Judicium rerum in summam ; quo regibus olim
Arbiter

Arbiter assumtus, patriæ tot regna dedisti ,
Quot novus orbis alit stellis incognita nostris;
Quam misere manum , belloque & pace virentem,
Et quam fertilibus surgens Pallantia campis ,
Misit , & a cunctis clarissima Pincia regum ,
Aut Caracræ ambitus lapidoso flumine murus ,
Et Carpetanis quæ prominet inclyta terris
Mantua , fatidica qualis quæ condita Manto ,
Ingeniis opibusque viret ; quamque unica Phœbi
Gloria Complutum , magni domus alma Cadenæ,
Orba deo , patriæ sed non cessura Maronis;
Complerantque hilares magni spatiosa theatri
Æquora, visuri Reginæ augusta beatæ
Ora , novos thalamos regis quæ ingressa Philippi
Æternam mundo tandem dedit optima pacem .
Pars procerum turmas , & ludicra prælia læti
Cernere , arundineam pugnam , taurosque minaces ;
Pars avidi certare feris , jaculisque parati
Figere , & igniferum cursu vitare furorem ,
Sive dato in lævam saltu , dextramve trementi,
Accensus tanto dominæ spectantis amore
Quisque suæ , ut mortem cupiat pro laude pacisci .
Tum vero in sagulis rutilo fulgentibus auro
Erumpunt portis proceres , capita alta decori ,
Elusis auro plumis , acubusque lacernas
Intexto picti argento ; quibus aureus ensis
Accinctus lateri lævo , dextro aurea sica ;
Et cruce conspicuus nivea , viridive , rubrave ,
Vel fulvo pecudis Phryxææ vellere , lucet
Circulus obtorti per collum flexilis auri ,
Et pedibus sonipes , & fronte impellitur alba .
Circumfusa cohors venienti prælia divæ
Spectatum , medio in cœtu nitet ipsa quadrigis
Vecta albis , stellas inter ceu luna minores,
Postquam fraterna toto micat æthere luce :
Aut patris Oceani ceu quum se sustulit undis

Taygete,

Taygete, & puro fulget nitidissima cælo.
Haud aliter Regina, deum sata sanguine, sacra
Procedens fulget porta, niveoque serenat
Ore diem, graditurque, sinus tunicasque crepanti
Picta peregrinas auroque Indaque smaragdo,
Barbaricoque graves luxu, & Gangetide gaza:
Ex humero vestem demissam, plurima puro
Argento saturam, flammasque undante pyropo,
Fibula subnectit consertis aurea gemmis.
It gemmis caput implicitum, mollesque capilli
Electri flagrant in morem, & mille coruscant
Collecti in nodos, totidem quos nexuit hamis
Eois opibus massaque Tagitide crebris
Docta manus, similisque vigil solertia segni;
Flexile collo aurum baccis micat intertextis.
Ardet fronte gravis adamas, Phœbi æmulus orbis,
Quem novus emenso oceano, spolia ampla tyrannis
Hesperiis misit gestandum Hispanus Iason;
Perdomito postquam mundo, signa intulit orbi,
Sidera prospiciunt quem nulla Erymanthidos ursæ.
Et pergit Nymphis stipata micantibus auro,
Aurea dum religant flavos redimicula crines;
Et leviter fossis lapis emicat auribus, Indo
Collectus pelago; pendentque monilia collis
Aurea marmoreis riget & palla; omnibus auri
Textilis ornatu, & limbo spectabilis aureo.
Alterno agglomerat sonipes vestigia gressu
Astur, & horrisonis auras hinnitibus implet,
Ignotus Marti; rapidos sed molliter ungues
Colligere ad numerum melior, pacataque molli
Aptior aurigæ imperio trahere esseda collo.
Illa via incedit sacra, matrona Tonantis
Qualis ad astrigeri pergit spectacula cæli,
Quum fastos celebrant superi; quam Lactea pictis
Vectam avibus, superumque choris miratur alumnis.
Stipatam, turbamque deum via vix capit, & se
Re-

Reginæ agglomerant Nymphæ : supereminet omnes
Illa deas, gradiensque poli convexa tuetur,
Pertentantque Jovis tacitum nova gaudia pectus.
Non humeris Isabella minor formare petebat
Sublimes circi portas, quum læta juventus
Ingenti accurrit plausu, vulgusque videndi
Effusum studio magni tabulata theatri
Obsedere : alii choreas, lususque procaces
Exercent læti coram ; citharisque canoris
Personat ingentis caveæ procul æquor, & uncis
Cornibus adjuncto late crepitante orichalco;
Responsantque Tagus, Nymphæque Tagitides omnes;
Amne Tagus vitreo, atque e vorticibus præruptis,
Aeriis Nymphæ e speculis, & divite ripa;
Donec arenosi lustrata est area campi.
Et solio Regina alte suffulta resedit
Septa armis, mediaque novi testudine tecti.
Tum vero lætos præco canit aggere ludos,
Exultantque avidi juvenes, gaudentque periclum
Adventare suum, vibrantque hastilia dextris.
Corda pavor perculsa quatit laudisque cupido,
Lætitiamque metumque inter. Tum corniger altis
Excitur taurus stabulis, ceu nubibus ignis
Elisus, mediosque ruit truculentus in hostes.
In cursu tremuit tellus, ferit æthera clamor,
Et Galianæi saltus perculsa fragorem
Sylva dat, excussæ rupto velut æthere nubes.
Ille furit, bifidoque solum pede pulsat, & ignem
Ore vomit, flammasque feris de naribus efflat.
Igne micant oculi, pendent palearia mento
Cruce tenus; setisque riget, velut anguibus, ingens
Et frons & cervix ; camurisque e cornibus ardens
Fulmen, & e toto venit horrida mortis imago
Corpore, fumificisque horrent mugitibus auræ.
Primus Ulissea qui venerat urbe Caliphron,
Egregia juvenis forma, Pleberis amica

Cui

Cui jecur accendit misero, splendentia dextra
Tela manu tendens, chlamydisque volumina læva,
Obvius it, multaque furentem voce lacessit.
Ille truces vultus venientis vertit ad ora
Arduus, & caudæ ferit hispida terga flagello,
Telluremque cavat pedibus, tum cornua jactat.
Utque levis tenso cornu volat acta sagitta,
Quum petit aut leporem sylvis, aut montibus aprum;
Ignifer in juvenem rapido sic turbine fertur
Taurus, & ardentes afflatu dividit auras.
Objicit ille sagum venienti, & præpete saltu
Corripit in dextram corpus, vitatque tremendum
Vulnus; & audaci, dum præterit, ultima tauri
Terga ferit jaculo leviter, quia missile telum
Viribus exiguis gelidoque pavore retentis
Emissum, summa vix hæsit pelle juvenci,
Distrinxitque cutem. Sed quamvis vulnere parvo
Saucius, exarsit Phlegræi fulminis instar,
Objectumque truci cornu laniavit amictum
Pro domino. At vacuas postquam desævit in auras,
Irruit in medios juvenes, trepidumque Lasindum,
Durinumque fugam meditantes vulnificus bos
Occupat, & fulva miseros prosternit arena.
Semianimes socii rapiunt, Brocadania proles,
Et Corianus Arabs, nigroque colore Tarinus,
Gandandele sati. Pavido fugit Inacus ore,
Immemor & jaculi, quod forte gerebat, & ensis.
Sed vix terga fugæ dederat, quum taurus anhelo
A tergo aggreditur cursu, pedibusque citatis
Insequitur, vincitque fuga, comprensaque terga
Fronte ferit; recto quia præceps impete cornu
Dirigere haudquaquam meditata in vulnera quivit;
Vulneris immunem sed flavæ stravit arenæ.
Tum furit, atque iterum frustrata in vulnera surgit
Bellua, deceptosque acuit truculenta furores.
Attamen hostiles artus tellure jacere

Cernit

Cernit ubi, obtutu lustrans vi indagat odora,
Num dederit letho, pluresne supersit in ictus.
Ille jacet pavitans, vitalique abstinet aura,
Exanimem simulans. Proh quanta est gratia divum
Humanis concessa animis, vis quanta parentis
Naturæ! extincto similis fugit Inacus hostem,
Quem vivus vitare nequit; quemque ille secutus
Viventem infensus cursu prævertit, inultum
Nunc fato, quamvis falsa sub imagine functum,
Linquit, & amatos iterum furit acer in hostes;
Et Lelego femur, & Tamiro crus haurit adunco
Fulmine, præcipiti victis conamine cursus.
Hos etiam comites tollunt, circoque gementes
Educunt, tectisque locant, Nolbusque, Lycesque,
Absyrtusque, Darapsque, Zetesque, & magnus Otaxes,
Et grandævus Aron: lethales non tamen ictus
Effugit Bramphylus, honos quem sanguinis, atque
Digna viro facies, necnon optanda puellæ,
Inter Iberiacos tollebat ad astra colonos.
Quippe Cleonæo redimitum tempora rictu
Alcidem numerabat avum, cui filia Caci
Præclaram peperit Cæso genitore Toletum.
Illa tuum dignata torum, Millane, cadentis
Qui patriæ quondam pro libertate peristi,
Fecerat egregium pulchra te prole parentem.
Tantum sivisset series fati improba vitam
Eximio juveni cupidas producere parcas!
Sed puer insultantis equi dum terga ferocis
Cornibus igniferis heu tauri opponit, & amplas
In clunes propensus equi, cervice torosa
Cominus imposito jaculo, bovis excitat iras;
Illius astrigeri summo de vertice cæli
Cœpta tuens Juno, dignosque parentibus ausus,
Ingemit, & : Cœlo fruitur meus hosti, & ipsa
Invita Junone nepos parat Herculis, inquit,
Sidera terrificum monstrorum cæde mereri?

Quin regina poli, conjunxque, sororque Tonantis,
Herculeo cedo generi? quin sceptra torumque
Pellicis arbitrio diræ, fratremque relinquo?
Nam quid jam reliqui est cæli, nisi ut occupet arcem,
Præripiatque patri sceptrum Tyrinthius, atque
Fulminet imperio cæli? sine nomine turba
Nos simus, viles superi, atque ignobile vulgus?
Scilicet expenso sperabit robore cælum
Posse etiam Herculeis superari viribus, & qui
Immota cervice tulit divosque polumque,
Nec molis labor immensæ colla ardua flexit,
Qui tot perdomitis monstris meruisse superbit
Sidera; se divos jam nunc quoque posse putabit
Opprimere, & vacuo per vim succedere mundo,
Consortesque sibi natos adscribere regni.
Quos ego; sed verbis non est opus. Opprime facto
Ire viam in superos meditantem: perge, age, perge;
Congredere, & primo properantem dejice passu.
Hæc dea, seque nigro per sudum fervida nimbo
Præcipitat, piceoque fori capit æquora lapsu,
Et toto passim circo, perque ora virorum,
Perque feros animos volitantem aggressa Pavorem,
Talibus alloquitur dictis: Tibi, dive, superbos
Imperium turbare animos, specieque pericli
Attonitos, mentisque inopes prosternere in ausis.
Ecce inimica mihi proles Tirynthia, tauri
Per cædem in superos iter arripit, & mea demens
Amphitryoniadis contemnit numina more.
Tu juvenem insultantem animis, si quid bene de te
Commeruit Juno, per quam divusque vocaris,
Larvatisque hominum regnas per corda ministris,
Opprime, & a primis surgentem intercipe cœptis:
Et pete, quam cupies, meritis pro talibus unam
Nympharum ex numero (si quæ tibi forte mearum
Præstanti placuit forma) propriamque dicabo,
Exigat ut vitam tecum, faciatque beatum

Egregia

Egregia te prole patrem. Sic diva profatur;
Quum Pavor hæc contra. Satis, o Regina, minister
Hoc mercedis habet, dominæ si jussa capessat,
Si gratum quicquam obsequii, placitumque rependat.
Nam mihi quæ superum mensæ? quæ sceptra? quis ardor
Connubii? consorsve tori quæ gratior ulla,
Junonis quam jussa sequi? mihi summa voluptas
Imperiis parere tuis. Sic fatus, ovantem
In juvenem, monstrique iras & bella cientem,
Conversus terrore furit; simulachraque linquens
Ante oculos, atque ora necis, titubantia carpit
Corda Pavor, fugit ore decus: tum lumina cæcus
Horror obit, gelidusque fluit per languida sudor
Membra viri, torporque manus ignavus, & ossa
Corripit; infractæ languescunt frigore vires,
Deficiunt animi, timor occupat; ulla nec usquam
Jam fuga, consiliive locus. Videt undique sævæ
Junonisque minas, furialiaque arma Megæræ,
Verberaque & colubros, & turbida sulphura pinus,
Certaque surgentem jam dudum in vulnera taurum,
Instrumenta metus, minitantiaque omnia mortem,
Dum petitur; nec lora manu laxare fugacis
Quadrupedis meminit, fodere aut calcaribus armos,
Virtutem superante metu; crudelia donec
Ventre feri, qua lata necis via, cornua condit,
Purpureamque novo madefecit sanguine arenam.
Calcibus ille furens tenues diverberat auras,
Sessoremque procul dorso excutit; imminet hostis
Exitio, ferit adstantum vaga sidera clamor.
Ille cadit resupinus, equoque furente, per armos
Volvitur in præceps crudeli proditus hosti.
Cornibus exceptum taurus violentius acto
Turbine sulphurei tormenti ad sidera torsit,
Nec secus atque pilam bis, terque, quaterque retorsit:
Donec multa leves per vulnera vita sub umbras
Fugit, & exangues artus miseranda reliquit

Ah

Ah puer infelix ! quis enim tua vulnera magno
Cum gemitu, quis non funus ſpectavit acerbum?
Heu quantas toto paſſim ſpectacula circo
Interitum in lacrymas circumſpexere ſoluta!
Ipſe pater patriæ, patriæ pater ipſe, decuſque
Egregium, conſorſque tori regina beati,
Haud ſiccas tenuere genas, & lumina obortis
Imbribus implevere piis, gemitumque dedere.
Ingemuere ſacerque Tagus, Galianaque tempe,
Dumque oculis nimphæ plorant Toletides udis
Heu planctu rupes vicinas implevere.
Sed non in lacrymas aut fœmineos ululatus
Bramphili miſeranda parens, Tirynthia proles,
Solvitur; in ſuperos ſed juſto accenſa furore,
Turritumque caput, multumque gerentia patrem
Oraque, & immanes humeros, & turgida mammis
Pectora, & exertos ingentia membra lacertos
Attollit late, rupique innixa minaci
Fulgurat horrendum, dignaque ita protonat ira.
Scilicet hanc decuit mortem oppetiiſſe nepotem
Herculis? hoc ſobolem Jovis immaduiſſe cruore?
Et tu ſceptra tenes, cæli pater? & tua divi
Juſſa pavent? Si tot diros obiiſſe labores
Alcidem ſatis eſſe nequit, ſoror ut tua mentem
In melius, duraſque iras convertat; & omne
Stat genus Herculeum propera conſumere morte.
Quid, pater omnipotens, in me tua fulmina ceſſant,
Experiorque alias vires? alia orba paveſco
Vulnera? crudeline adeo indulgere ſorori,
Ut tua progenies alienæ concidat iræ
Preſſa odiis, Stygiaque manu auxiliaris Erinnys?
O vere egregium facinus, dignumque Tonantis
Conjuge, Phlegræis vel connumerabile factis;
Unus ſi divum puer occidit arte duorum,
Si Pavor hinc, atque inde Jovis ſoror inclyta diro
Irrepſere dolo, teneriſque hæſere medullis,

Con-

Consiliique inopem medio fecere periclo.
Usque adeone meam superis abolere voluptas
Progeniem? usque adeone deum sum invisa parenti?
Sed sic te sensi, sic pergere, Juppiter, olim,
Injustis quando conjunx meus occidit armis
Infelix; licet ipse cava testudine templi,
Insignem (miseræ solatia inania mortis)
Pro patria armatum, Junone dolente, locaris.
Nam tibi quid cordi credam genus Herculis esse?
Posthabita si me Burgis caput esse dedisti
Hesperiæ, primisque finis gaudere beatos
Consiliis, paterisque meos sic cedere natos?
Talibus ægra furit dictis, sata sanguine magni
Alcidis, lacrymisque genas maduisse subortis
Erubuit, se seque parem non esse dolori.
Fœmineumque perosa genus, turgentia condit
Ora manu, sacrumque caput dein rettulit in se,
Aereas tantum linquens super æthera turres.
At pater omnipotens, quoniam non aspicit æquis
Amplius hæc oculis, neptisque dolore movetur,
Junonisque dolis, puerique ætate peremti;
Consortem thalami trepidam tumida increpat ira:
Ut nova nunc tacitum tollunt tibi gaudia pectus!
Occidit, ecce jacet primis Bramphilus in annis.
Orba furit nati soboles Tirynthia cæde,
Et madet exanguis pueri suffusa cruore.
Sic ducis Hesperii thalamos, sic anxia Juno,
Quos ciet ipsa, colit, celebratque, fovetque hymenæos?
Divini sic læta tori connubia sancit?
At quibus implicitam curis? quæ bella paventem
Cernere erit? quas gentis opes? quum fœta, Toletum,
Orba modo, luctuque & funere mersa suorum,
Ajalas, Avalosque, atque inclyta nomina, Sylvas,
Et numero pariet Roxas, annisque potentes,
Albanosque duces, mundi decora alta, Toletos,
Hercule avo, proavoque deum rectore Tonante,

Si-

Sideribusque omnes dignos: tum supplice dextra,
Tum precibus lacrymisque veto me fata regentem
Attentare: manet rerum immutabilis ordo.
I, Furias trepidumque move ingeniosa Pavorem,
Gorgoneasque faces: dabit, ah, dabit impia pœnas
Africa, Bramphili nec funera inulta relinquam.
Dixit, & Atlantis volucrem vocat inde nepotem,
Quem penes arbitrium virga revocare potenti,
Pallentes animas Stygiis e faucibus orci,
Vel miseras nigri detrudere in ima profundi;
Atque eat, & tumulis pueri det membra paternis,
Et justo manes absolvat honore recentes,
Imperat. Ille volat, nebulaque exceptus opaca
Transnatat immensas revolubilis ætheris oras,
Bramphilique artus animæ jam fortis inanes
Involuit nebula, spumantique abluit amne
Vulneraque, & multo fœdatos sanguine crines.
Inde patrem juxta sacra componit in urna
Membra viri, signatque brevi cava marmora versu:
Herculeum Bramphilus iter si cæde ferarum
Haud tenuit, magnis tamen excidit Herculis ausis.
Mox Acheronthæi subeuntem judicis urnam,
Tartareosque sinus Erebi, Stygiasque tenebras,
Horrentem revocat animam. Rex vincula frustra,
Obtendique jubet cæso ex adamante catenas:
Illa volat, solemque iterum, cælumque revisit.
Sed quanquam infernis revocata paludibus, aura
Cælesti fruitur rursus, visendaque nulli
Auditur tantum; nunquam tamen immemor atri
Funeris, & multa recubantis corporis umbra,
Fluctivagas dum jussa Tagi dea servat alumnas,
Aurati dites ululat super æquoris undas,
Vicinosque rigat lacrymarum ductibus hortos.
Non tamen interituve tuo, lacrymisve tuorum
Successuvæ feræ, Bramphile, exterritus hosti
Occurrit jaculo splendens Medorus acuto,

An-

Angelicæ ſenſus, ſpretis tot regibus, unus
Qui inflexit, gelidumque accendit pectus amore;
Virginea juvenis facie, ſed mente pericli
Contemtrice, coma per eburnea terga fluente;
Quæ brevis in limbo ſagulus coriaceus albo
Veſtit, & ad ſummas genualia candida ſuras.
Et colui ſi te, Veneris puer alme, coloque,
Hoc mihi ab Angelica conceſſum munus amica
Dirige, ait: telumque manu contorſit. At illud
Direxit volucer ſetoſa in terga Cupido
Terrifici tauri, tremuitque haſtile ſub ictu.
Corripit inde fugam, rapido nec ſegnius Euro
Emicat, & ſterilem celeri pede jactat arenam.
Serius aggreſſa eſt fugientem bellua, poſtquam
Sævit, & ad vulnus verſavit corpus in orbes,
Terribileſque truci mugitus edidit ore.
At dolor accendit ſtimulos, atque adjicit iræ,
Corrigit atque moram curſu, tergoque fugacis
Imminet, & cornu prædam petit, atque tenere
Jam putat, & vacuas diris mucronibus auras
Diſſipat hæſuræ ſimilis, pungitque cruento
Ultima velocis pueri veſtigia cornu.
Ille metu celer, & populi clamore faventis,
Evolat, ut ſicco poſſit freta radere paſſu,
Poſſit & extantes ſegetis percurrere ariſtas:
Eripiturque ipſis prope tauri cornibus, altum
Inſiliens, circus quo carcere clauditur, orbem;
Deſpicit unde, fuga modo quem vitaverat, hoſtem.
Cornibus ille furens ærato in robore tritis,
Elicuit ferro flammas, atque æquore toto
Occupat ambuſti cornu ſpectacula: pejor
Tum furit, & ſecum meditantem multa Guilanum
Sternit humi, paſſimque alios, ut quiſque frementi
Obvius, Ardanum, Barſinanumque, Briamque,
Landinumque, Balamque, Agragemque, Olivamq; Abiemq;
Galvanemque patris contentum paupere terra,

Uno

Uno omnes cursu, variis tamen ictibus haustos.
Regius ante fores, ipsoque in limine tecti,
(Unde deæ similis ludos regina beatos
Spectabat nymphis stipata) bipenne satelles
Horridus in multa corpus regale cruenta
Arcebat turbaque simul, structaque cohorte
Per cuneos vigili servabat limina cura.
Teuthonus a dextra miles, sed parte sinistra
Hispanus sacros postes custodit; uterque
Ampla bipenniferæ prætendens pondera dextræ.
Quorum aliquis cellas visus spectasse fenestras,
Eque his auricomas tendentes retia nymphas,
Creditur his Venerem dictis orasse potentem.
Alma Venus, regum quibus est custodia curæ,
Haud licet in quæcumque libet procurrere bella,
Et Martem miscere manu; statione manendi
Sed certa hostes optati, regesque tuendi.
Quare pugnandi quanquam mihi summa voluntas,
Spargendique cruore feri spumante bipennem
Impactam cerebro tauri, laudemque mereri,
Et vires animosque meæ ostentare puellæ;
At nequeo ducis imperio in statione retentus,
Tu nisi diva faves, taurumque impellis, ut hosce
Invadat postes ultro. Tunc nostra recuset
Lux mea vota, precor, primo nisi concidat ictu
Mactatus dextra hac taurus, duraque securi.
Talibus orabat, quisquis fuit ille, Tonantis
Filia cui faciles oranti præbuit aures,
Et cælo delapsa secat magnum aera, fulgur
Juppiter ætherea ceu quod jaculatur ab arce;
Deponitque deæ formam, mentita Myconis
Effigiemque habitumque, & tela micantia sumit,
Occurritque feræ, & multo prior ore lacessit.
Tum jaculum dextra vibratum conjicit alma,
Quod quanquam sævi perstringens tergora tauri,
Vix pelli affixum duræ leve vulnus inussit,

Quale

Quale fuit, dextram Veneris fecisse, decorum:
Attamen ille truces vultus conversus ad ictum,
Verrentem extremo pepli videt æquora limbo
Collecti læva divam, se seque cientem
Nunc chlamyde objecta, strepitu nunc calcis eburni.
Nec mora, terribili se se rapit in pede, divamque
Insequitur cursu: passu volat illa citato,
Atque bipenniferæ qua tendunt parte cohortes,
Ire cito properat gressu; sed bellua cornu
Instat, & oppressæ fixisset vulnera, si non
Divinum in torvos dea projecisset amictum
Tauri oculos, texissetque almo cornua peplo,
Et profugo aereum pede conscendisset olympum,
Apparens oculis talis mortalibus, Euro
Flante solet qualis commoto pulvere turbo.
Restitit ille gradu tamen e regione phalangis
Teuthonicæ, turmasque virum torvo ore notabat,
Multa minans oculis, sparsa pede plurima arena,
Jactatoque truci cornu, caudæque flagello.
Teuthonas at dubius fixit pavor, ægraque nutant
Corda virum, quove infestæ cadat impia pendent
Ira feræ; rapere arma tamen, densisque coire
Ordinibus, multaque horrere bipenne cohortes:
Quum fera præcipiti ruit infestissima cursu,
Et quanquam excipitur telis, sed fronte revulsis,
Per medios aperit cuneos fuso hoste viam vi,
Obvia quæque truci prosternens agmina cornu:
Haud secus hybernis quum torrens imbribus auctus,
Quem nullæ objectæ moles tenuere per agros,
Insano quin cuncta trahat sata læta fluento,
Turbine devolvit vasto, si quæ obvia cursum
Impediunt exundantem, pontesque, trabesque
Septaque, & instratos undai gurgite montes.
Teuthonicas sic tauro acies sternente, ferebat
Qua metus exanimes, rupta compage ruebant,
Audacem trepidæ nec sustinuere phalanges.

Stabat Iberiacæ ſed vis immota cohortis,
Protenſis intenta haſtis, quas corpore paulum
Deflexo medias manibus tenet; ultima contum
Extenſoque gradu, genubuſque & poplite flexis.
Calce premit lævo, ſterilique impingit arenæ,
Ferratas acies diris mucronibus hoſti
Objiciens, pedibuſque pedes, tela horrida telis
Agglomerans, humeriſque humeros, teſtudine denſa;
Quam neque depulerit belli ferus arbiter, ingens
Magnanimi nec dextra Jovis, nec pectore virgo
Ægiſono furibunda, caput licet exerat atræ
Gorgonis; & capitum tot, cervicumque capacem,
Urbes quot centum poſſent in bella virorum
Mittere, quadrifidam criſtis, auroque rigentem
Aptet, & ingenti galeam ſuperinduat ori,
Inſanoque fremens veniat comitata furore.
Sic denſi agglomerant latera, & mucronibus horrens
Stat manus, extenſiſque hærent ex ordine telis.
Bellua crudeles ter movit in agmina greſſus;
Ter peritura gradu, miſerante retenta Diana,
Abſtinuit ſe ſe lethali ab acumine ferri.
Namque Amadiſiaci munus fatale laboris,
Hoc etiam ut monſtrum occideret fore diva canebat,
Auricomæ rapidos ob Bryſeneidos ignes.
Quare ne divum irrita mens foret, agmina præceps
Si fera adorta truci caderet confoſſa virum vi,
Nec Perioniados ſentiret vulnera dextræ;
Ire iterum in cuneos, inimicaque tela parantem
Diva tenet, ſe ſeque equitem mentita Opheleſtem
Objicit, & virga media inter cornua tenſa,
In clunes ſuſpenſa feræ trahit arte ſequentem
In diverſa fori, mediaque relinquit arena,
Seque iterum in ſuperos, atque aurea tecta recepit,
Nube excepta cava, plenæque ſimillima lunæ.

T A U R U S

ET CANNARUM LUDUS,

IN NUPTIIS D. D.

PHILIPPI ET ISABELLÆ

HISPANIÆ REGUM.

LIBER II.

ANnosæ trunco quercus innixa vetusto
Machina, fabrili sudata labore, tuentum
Præbebat fessis secura sedilia membris.
Hanc subter non æqua Thoas in prælia dextram
Ense gravis, lævam clypei vice robore tectus
Fulmineas multa bovis iras voce ciebat,
Nunc minitans telo, latitans nunc objice trunci.
Illum sed torvo postquam fera lumine vidit
Exultantem armis, & vasti stipitis umbra,
Extulit arrectos vultus, & cornua late
Libravit jactans camura, & pede sparsit arenam.
Hinc lento graditur passu, lignoque propinquat;
Vixque acres differt iras, prædaque potiri
Qua ratione queat, vestigans omnia lustrat:
Inde ruit, pavet ille metu, totusque tremiscit,
Stetne loco dubius, cedatne, fugæque paventi
Intendat: primos tandem consistit ad ictus,
Tectus magnanimi vastæ Jovis arboris umbra.
Aggerat illa truces iras, & in obvia sævit
Robora, dumque potis prædæ nequit esse, per omnes
Urget agens gyros, & circumquaque fatigat,
Et terit in duro crudelia cornua trunco.
Fit sonus, & crebris gemit ictibus area circum;
Aura procul, dirisque furit mugitibus æther.

Et

Et quanquam artificis dextra tellure cavata,
Fixa sui quercus sub pondere roboris hæret;
Juncturas tabulata dare, & concussa fragore
Ingenti patulas aperire sedilia rimas
Incipiunt, pulsu qua fundamenta labascunt.
Exoritur clamor spectantum, & turba sedentum
Erigitur, linquitque locos, pedibusque fugæque
Committunt pavidas animas, & tuta relinquunt
Expositi veris, cupidi vitare, periclis;
Excelsisque nurus, matresque, virique, senesque
Sedibus exiliunt, & qua locus, ordine nullo
Lymphati arripiuntque fugam, properantque salutem.
Bellua quum subiti conversa fragore tumultus,
Palantisque fugæ strepitu, queruloque ululatu
E specula turbæ salientis; fessa Thoantem
Vix jam, vix tandem demta spe membra trahentem
Liquit, & objectæ correpta cupidine prædæ,
Infert se turbæ, diversoque omnia luctu
Miscet agens, Circique omnem crudelibus orbem
Vulneribus spargit passim. Cadit Afer Echion,
Et venator Ares, & Tapsi frater Opheltes,
Atque Erymus, conjuxque Erymi pulcherrima Nise;
Quæ lateri dum forte viri fugientis adhærens
Præcipiti cursu, studioque incauta sequendi
Accelerat pavidos gressus, offendit, & artus
In præceps revoluta cadit, resupinaque late
Quæ sub veste solent celari membra retexit,
Unde amor exhausta jaculatur tela pharetra.
Sternitur Ancæus, Genisusque, Cotisque, Medonque
Ornitus, atque Imon, Glaucusque, Abarisque, Lycusque,
Armaque Gesander repetens amissa, Melasque
Exuit imbellem fugiens qui cursibus hastam
Necquiquam, cornuque gemit grave vulnus adacto;
Phoreaque impellit, sequiturque inimica Melantum
A tergo, jam jamque tenet, jam vulnere summa
Infesto premit, & cornu ferit inguina adunco.

Se-

Seminecem rapiunt Lycidas & Tyrsis, alumni
Capripedis Satyri. Stricto micat Euritus ense,
Imbellique manum chlamydis circumdatus ostro
Vociferat: Quibus, ah miseri, quibus eminus armis
Ignavi, trepidæque fugæ, pedibusque peritis
Intenti? Proh vulgus iners! mea discite vestris
Prælia quid præstent. Valeant, quibus eminus usquam
Fortibus esse placet; mihi non nisi cominus esse
Dii dederint: sit in hoc, prædam qui cœrula vexit
Per freta Agenoream dorso Saturnius albo,
Vectorem Tyriæ perimet mea dextra puellæ.
Talibus ardentem dictis, & in ora ruentem
Torva feræ, chlamydemque manu, gladiumque rotantem
Occupat, & magnis præventum intercipit ausis
Taurus; & obliquos dum cornua librat in ictus,
Balteus adversum qua pectus signifer ambit,
Vestibus affixit directum ad pectora cornu;
Hærentemque rapit secum, circumque volutat
Ora fremens, totaque trahit (miserabile!) arena
Suspensum cornu, nec jam tam magna loquentem,
Multa sed & lacrymis, & supplice voce rogantem
Auxilia; abscissa donec sub pondere veste
Linquit onus nudum, membris quod fugit apertis,
Fœmina quaque caret, pars longe apparuit ingens,
Et nova ridenti exhibuit spectacula circo.
At niveo sublimis equo Perionius heros
Galpani spolio graditur, dextraque minaci
Hastam splendentem multo quatit ære trabalem,
Urgandæ donum; quo primi horrentia Martis
Hostibus a solo bis quinque pericula cæsis
Evasit, victorque patrem Periona nefandæ
Eripuit morti natus, nil tale putantem;
Et patriam, veteremque domum servavit in illo
Inscius, inque hostes jurandi jura retorsit.
Præscia venturum quod quum sanctissima vates
Nosceret in fatis, Hecates Perseidos aris

Suspen-

Suſpenſum quondam, quod erat medicabile telum
Eripit, atque triceps numen ter voce precata,
Uſque Amadiſiacum ſervavit tempus, & illo
Obvia donavit puerum, quæ fata pararent
Commemorans; unde hos juvenis ſervavit in uſus.
Ergo ubi ſæva trucis contra ſtetit ora juvenci,
Oppoſuitque fero candentia pectora tauro
Quadrupedis nivei, corpuſque aptavit ad ictum;
Conſtitit, atque oculos Orianæ vertit ad ora
Spectantis, tacitoque trahit ſuſpiria corde,
Et pede cornipedem citat, & premit ora lupatis.
Spernit equus monſtrum, pedibuſque immobilis hæret,
In latus ire celer, vel ſiſtere, utrumque paratus.
Bellua num peteret viſa eſt dubitaſſe, ſed ira
Impulit, & miſſo balearis pondere fundæ
Ocior in juvenem magno ruit impete. Sævam
Impiger oppoſita expectat Perionius haſta:
Turbine quoque virum petiit fera, fixit eodem
Qua cervix armis conjungitur, intima ferrum
Viſcera, & obſcœnum reddit ſpecus alta cruorem
Vulneris admiſſi, fœdatque aſpergine terram.
Dumque cadit, vitamque tremens bos linquit in haſta;
Gandalinus adeſt, & ſtricto diſſecat enſe
Crura feræ labat exanimis, metus ante theatri:
Taurus, & immani procumbit corpore humi bos.
Acclamant læti comites, & gaudia plauſu
Teſtantur vario ingenti ſpectacula circo,
Victricemque manum gaudent contingere dextris.
Tum ſpectant trepida ora feræ, mirantur adunca
Cornua, & horrificos vultus, ſetoſaque membra
Attoniti juvenes tellure jacentia multa.
Nec contingere adhuc, propiuſve accedere tutum
Eſſe putant, longo ſed vulnere tela cruentant.
Audiri interea celſæ procul arcis ab alto
Culmine percuſſo reſonantia tympana dorſo,
Nigra quibus capere arma viros Mauruſia fortes
Sol-

Sollicitare solet, pugnasque accendere equestres,
More Libum: strepere ingenti clangore tubarum,
Terrerique nemus vicinum, & regia rupes
Tundere pulsatas repetitis vocibus auras,
Et lituis mugire polus, fragor alta subire
Sidera; terribiles ceu quum Mavortia vellunt
Signa tubæ, ferit astra fragor, cœlumque remugit.
Haud minor excipitur circo sonus, haud minor alta
Astra ferit fremitusque virum, clangorque tubarum.
Quum se se portis effundunt agmina plenis,
Hastatæque ruunt acies, circoque propinquat
Structa phalanx equitum: fremit impiger æquore toto
Insultans phaleris sonipes, ostroque superbo
Stratus, & Eois ad serica pensa lapillis,
India quos mittit dives; pressisque repugnat
Obversus frenis, nunc huc, modo vertitur illuc;
Agglomeratque modo gressus, modo paret habenis.
Præcedunt, longo faciant decedere circo
Qui populum effusum, jubeantque patere theatri
Æquora; deinde cohors subeunt cetrata ministri,
Arma viris, clypeos, taurorum cruda daturi
Tergora, mutandis qui quadrupedantibus adsint
Defessis nimio cursu, pugnæque labore.
Hi quoque frænatis in equis bicolore lacerna
Conspicui incedunt bini: miratur euntes,
Hesperiæque fremit veteris numerosa juventus.
  Erumpit peditum manus inde; jugalibus arma,
Cannarum jacula, argutaque ab arundine tela
Qui portant. Aulæa solum pendentia verrunt,
Pugnantum varias armorum intexta figuras.
Turba ministrandis jaculis promtissima quæque
In pictis caligata nitet thoracibus albo.
Jamque equitum crepitante auro micat agmen, & ingens
Argentum pictis collucet amictibus, orbis
Alter ab Eois quantum non miserit Indis,
Guadalcanaicis non improbus hauserit arvis
Fossor;

Fossor ; & Assyrio quæ venit littore gemma,
Velleribus commixta nitet, ditissima Seres
Quæ depexerunt foliis, aut Seribus unquam
Nulla parte minor vel concessura Toletum.
Omnibus auratis capita alta involvere velis
Sidonio de more placet, Lybicisque cothurnis
Vincire adductas sinuato poplite suras,
Ut Cadmæa solet soboles; & sistere multo
Ære pedes, longisque citos calcaribus auri
Quadrupedes fodere, & celeri pedis ilia motu;
Aut punctim stimulos, aut inculcantis in orbem
Ad numeros haurire feri currentis, arenam
Dum quatit, atque putrem sonitu ferit ungula campum.
Sex numero turmæ, senique vagantur in ostro
Versicolore duces; bis deni quemque secuti
Exultant animis juvenes: amor omnibus idem,
Et metus ambiguum pectus quatit, una cupido
Laudis, & humanæ quæ præstat gloria vitæ.
Una acies equitum, pulcher quam ducit ovantem
Austria, quem Carolo Cronii maris incola magno,
Gloria Nynpharum peperit Tongritis, aquosum
Sub juga dum Rhenum, dum pictis Saxonas armis,
Danubiumque, Albimque trahit: quem Bethicus atris
Portat equus maculis clunes distinctus ab albo,
Collaque, Babiequæ proles bellacis & Harpæ,
Harpæ magnanimi, generosæ matris, Ilerdæ.
Altera, quam niveo soboles Romana Paceccus
Ducit equo, Zephyros cursu, candore pruinas
Qui superat, mentisque ipsum prævertit acumen.
Thessalica de gente ferunt, & stirpe Pelori,
Donatum puero: cessit tibi tertia sorte,
Pimentele, decus Beneventi; quarta Gyrone
Est tua; Mendocæ fuerat sed quinta, relato
Quo tamen in divos nuper, bellisque deorum
Præfecto, egregius forma Sylvanus, & armis,
Successit curæ, & quinta agmina circumduxit:
Extre-

Extremus, sed quo nec forma pulchrior alter,
Munere nec pacis, nec bello insignior, aut quo
Telluris pelagisque magis se ditia jactent
Regna duce, & magno patriæ patre, ceu Jove cœlum;
Lotophago est invectus equo, cui Pegasus alas
Submittat pavidas, Eurique, Notique secuti
Mirentur cursu se se post terga relinqui
Certantes, vincique fuga; quem maximus armis
Trinacriæ imperio præfectus Cerda, subacta
Menynge, exuvias inimicæ miserat urbis
Invicto regi, nullos cervicis amantem
Applausus, non fræna pati, non cingula ferre;
Donec regali domitus sub pondere, cessit
Sponte tibi, parent merito cui cuncta, Philippe,
Augustumque subit pondus: quare ipse relicto,
Quo fueras vectandus equo, quoque alta rebellis
Et Samarobrinæ calcaras mænia victor,
Et rigidæ Geldrudis opes, proceresque, ducesque,
Agminaque, attonitosque hostes in vincla coactos;
Hoc potius gaudes, qui regia pondera passus,
Bellorophonteas est indignatus habenas.
Cætera vel Lybicis pubes, vel fortis Iberi
Fertur equis, dextrosque humeros exerta, lacertis
Horret protensis, longeque micantibus hastis.
Ergo ubi cuique suus cessit locus, & cava signum
Æra dedere sono expectantibus; ecce repente
Exsiliere pares, deductisque agmina bini
Dissoluere choris: quæ sic volat æquore puppis?
Parthorum quæ tela fuga? quis concitus amnis
Hybernis pluviis, quum summi e culmine montis
In præceps revolutus agit nova flumina torrens?
Nubila tarda magis cœlo glomerantur, & Arcto
Tardior a gelida quæ prosilit horrida grando.
Fulguribus minor est, minor est Jovis impetus ignis;
Segnius astra cadunt. Illis mora nulla, nec ulla
Est requies; celeri sonipes quatit æquora cornu,

Aſtra virum fremitus pulſat, fragor atque tubarum;
Acceptas longe frangunt nemora avia voces,
Multiplicantque ſonos; ut quum per devia cervi,
Aut pardi, aut Cynthi nemoris ſi forte leones
Accepere procul fremitum, comitumve Dianæ
Latratus hauſere canum, rapida ocius aura
Attonitos fuga cæca rapit, quaque improbus urget
Ire metus pavidos, ſtrepituſque, fragorque ſequuntur.
Sic ruit, & laxis ſonipes volat acer habenis,
Et metam longo curſu tenet; inde recurſu
Convertere vias; tum longe tela reductis
Protendunt dextris, vibrantque haſtilia læti
Ingenti clamore omnes; iterumque labores
Ingeminant, curſuſque alios, alioſque recurſus
Tramitibus variis, diverſoſque orbibus orbes
Impediunt, gaudentque ſuis ſe oſtendere in armis.
Tum geminas acies fingunt, quarum utraque ternos
Ala duces, equitum ternas habet utraque turmas
Armatas clypeis, jaculiſque. Ergo eminus omnes
Conſiſtunt, campo adverſi; Mavortia ceu quum
Agmina raptantur caſtris, & præſcia pugnæ
Hoſtibus occurrunt, docuit quos pulvere nubes
Commoto jam ferre gradum: conſiſtit utrumque
Hoſtis in ore ſui cupidum certaminis agmen.
Non tamen incaluere iræ, nec tela cruore
Irrubuere; pavent ſed quo ſe Martia vertat
Gloria, nube latet belli tamen exitus alta,
Et quibus incerti ſe Mars indulgeat armis.
Agmina ſic juvenum, ſpatiis contraria campi,
Vicini ſtant Martis opus cupientia; ſed quo
Cedat arundineæ trepidant laus inclyta pugnæ.
Cornua ſed poſtquam ſignum increpuere, cavoque
Ære tuba horrificis fregit ſtridoribus auras,
Erumpunt, ſubitoque viri clamore ruentes
Exhortantur equos: prior omnibus æquore aperto
Evolat, & patribus divis haud degener, agmen
Arma-

Armatum rapit in pugnam Tongritide natus,
Ante aciemque oſtentat equum : levis aura comantes
Multiplicis lini criſtas quatit ; ipſe ferocis
Quadrupedis nixu adjutus vibrata per auras
Tela manu torſit, mediiſque locavit in aſtris,
Nubibus extemplo telorum obtexitur æther,
Et volitant miſſæ cœli per inania cannæ.
Tum jaculis viduata manus fræna arripit, atque
In dextram retro verſis referuntur habenis,
Et bovis objectant venientibus ampla manipli
Tergora : fit clamor fugientibus ; inſtat equeſtri
Increpitans turma Romanæ ſtirpis alumnus,
Præcipitatque viros, & Apollinis obruit umbra
Telorum radios ; clypeis quæ grandinis inſtar
Inſiliunt, nec crebra minus, nec fuſa minori
Turbine ; tum dextram fræno admovet, atque retoquens
Quadrupedem, refugo retro rapit agmina gyro,
Terga tegens clypeo crudi bovis, & latus hoſti
Objiciens tectum taurini umbonis amictu.
Ecce autem ſubito inſultans clamore Gyronus
Miſcet ſe pugnæ, & cedentibus imminet, hoſtis
Terga fragore premens rapido, jaculoque minaci,
Viribus immenſis vacuum quod in aera torſit.
Tela volant, adimuntque diem ; ceu murmure magno
Miſcetur cœlum, & commixta grandine nimbus.
Quem ſequitur propere tunc Pimentelus ; in hoſtes
Raptat equum, magnaque Gyronum voce laceſſit
Cedentem : Caput obtegito, caput hæc petit iſtud
Dextera, ait ; nec mille tegas ſi umbonibus, ictum
Effugies ; te me juvat id monuiſſe priorem.
Perſonat hæc : volat ille tamen, vultuque ſereno
Reſpicit inſtantem, & ſcutum ſupereminet ore,
Vi liquidum multa donec ſecat aera telum
Emiſſum, capitique viri ſtridore minatur.
Tunc demum celer ille caput parmæ obtegit ombra,
Et clypeo contectus abit ; ferit improba cuſpis
Incaſſum

Incassum cetræ corii septemplicis orbem.
Non tulit id Sylvanus (erat ceu percitus ira)
Fræna manu pernicis equi sed mollia laxat,
Et ferit indignam ferratis calcibus alvum,
Prorumpitque ferax : &, Quando seria ludo
Commiscere placet, contorti præmia teli
En cape, ait ; jaculoque ducis perstringit acuto
Terga procul : capiti nam dum timet, altior umbo
Inferiora viri detexit terga fugacis.
Fit sonus, & misso crepuere sedilia risu.
At ruit ut Pindi celso de vertice torrens,
Quum latus avulsum montis trahit, & fragor ingens
Imbribus hibernis actum, sylvasque, ferasque,
Turbine volventem sequitur, præruptaque saxa :
Sic patriæ pater, & Caroli præclara Philippus
Progenies erumpit equo, seque hostibus infert.
Atque inimica globos acies qua densior arctat,
Illac rumpit iter : sic quum bella horrida Mavors,
Sudatum multo thoraca labore Cyclopum
Indutus, galeamque deum, clypeumque micantem,
Ingreditur, campos implet, saturamque cruore
Titanum quassans hastam, per tela, per hostes,
Odrysio vehitur curru, bellique, necisque
Mille gerit dextra facies : haud segnior illo
Ibat progenies Caroli, decus orbis ; anhelo
Tantus equo campum complet, tanto emicat ore,
Tantus in arma volat. Capiti micat aurea plumis
Crista rigens, quæque ipsa dedit Regina, refulgent
Ex humero late pendentia flammea dextro,
Conjugii monimenta novi, & grave pignus amoris.
Dextra riget jaculo, tegit aurea cetra sinistram,
Et ruit in medios hostes : cessere phalanges,
Inque fugam trepidos verterunt agmina gressus :
Ille agit, ut volucres per sera crepuscula vesper
E pastu rapidis ad nota cubilia pennis.
Tum vibrata manu contorquet tela per auras,

Et

Et cœlo metuere dei; volat impetus ingens
Telorum, Phæbumque tegit vis improba ferri,
Quæ clypeis excepta ſonat, ceu culmine tecti
Ætherea de nube cadens a turbine nimbus.
Exoritur clamor, renovantur prælia, cannæ
Emiſſæ volitant paſſim; nunc flexibus orbes
Hi dextros, illi ſinuant in cornua lævos;
Nunc hi, nunc illi cedunt, nunc hoſtibus inſtant,
Agglomerantque vices, alternaque prælia miſcent.
Alternoſque ictus, alternaque ſpicula torquent,
Alternos refugo texunt certamine gyros.
Et modo agunt verſos in tergum cominus hoſtes,
Et modo rejecti verſis referuntur habenis.
Haud aliter quam quum Nereus exæſtuat, imo
Evertens fundo Neptunia regna, relaxatque
Oceani fontes, terraſque obvoluere ponto
Luctatur, pelagus tumefactum exundat, & æquor
Ingruit, & penitus ſcopulos ſuper æſtuat unda;
Mox remeat gurges, redivivaque littora ſurgunt,
Lunaque cæruleis immiſſa per æquora bigis
Fertque, refertque fretum, ſurgitque reciprocus æſtus:
Sic juvenum pugna eſt, ſic qui modo terga premebant
Victores telis cedentia, protinus ipſi
Reſpectant refugi cedentia terga tegentes.
Nulla viris requies, pax nulla, fideſve, ſed ardens
Eſt in laude furor: credas bella horrida, credas
Ticini, Trebiæve acies conſurgere ripis,
Remque geri levius ferro: quum Phæbus ab altis,
Unde deum ludos ſpectabat turba, feneſtris
Hæc cernens, ſolitumque ultra ſe ſe eſſe moratum
Spectandi ſtudio, Heſperiis caput occulit undis;
Et juvenem pugnæ finem impoſuere tenebræ.
Prima Peletronii natarum maxima, mammis
Armentalis equæ nutrita & lacte ferino,
Nympharum tamen una decus Gineta, feroci
Theſſaliæ hanc belli effigiem, ſimulacraque pugnæ
Oſtendit

Oſtendit terris, Libyæ poſtquam appulit oris,
Effugitque patrem, perque avia luſtra ſecuta eſt
Heſperium Bethim: nam nondum Bethis in amnem
Iverat, aut magnæ dederat ſua nomina terræ:
Sed puer, ut perhibent (dictu mirabile) monſtrum
Audierat procul orbe alio percuſſa dediſſe
Saxa ferum, bellis aptum, greſſuſque ſuperbos
Impoſito docilem dorſo glomerare ſub armis.
Nondum notus equus puero; nam tempore in illo
Æquorea ſonipes percuſſis cuſpide ſaxis
Theſſalicas viſus primum exſiluiſſe ſub auras.
Ergo animi impatiens ardentis pulchra videre
Munera Neptuni, patria ſceptriſque relictis,
Theſſaliam petit. Extemplo terraque potitur,
Ginetamque videt, viſæque accenditur igne,
Et formam ſtupet, & geſtus habituſque decorem;
Utque patri ſternebat equum, phaleriſque ſuperbis
Ad ſtabula alta domo procul exornabat, amicis
Aggreditur verbis: Quam te, pulcherrima, dicam?
O quam commemorem divam? Certe ille beatus
Si quem felici tæda dignabere, ſi quem
Connubio ſtabili: thalamis digniſſima divum,
Odryſiive toro Martis, Phæbove marito.
Sed ſi mortalis tangit te cura Hymenæi,
Ipſe deum ſoboles, terræ regnator Iberæ;
Et niſi me vanæ fallunt præſagia mentis,
Sum quoque cælicolum numero adſcribendus, amoque,
Quo potui merito fieri tibi dignus amore.
Dixit, & ad lacrymas addit quoque munera, dives
Quæ Tagus auratis producit plurima arenis.
Quid faciat? puer eſt, & divis dignus amari
Qui petit; illa tamen matura, & Theſſala, & auro
Ambitur, ſtabuliſque procul ſemota reperta eſt.
Sed pudor inde movet; dubitantem intercipit heros,
Victaque non ægre eſt, & virgo, & ſola, volenſque.
Tum juvenem ſtabulis victorem occultat in altis,
Treſque

Tresque adeo latuit luna fræna inter, & auro
Quadrupedum ornamenta manu sudata parentis
Virginis auricomæ; didicit quo tempore Nympha
Erudiente puer phaleras, pictosque tapetes
Nominibus propriis, & serica noscere pensa.
Nam licet ornandis sint quadrupedantibus omnes,
O mi care magis puer (inquit Nympha) parente,
Inventæ phaleræ; varius tamen usus in illis,
Nomina non eadem: fuerat namque inscius ante
Sessoris sonipes, donec sua fræna domando
Induxit pater, & fregit rudia ora lupatis.
Strata dehinc dorso applicuit, cinxitque flagellis,
Quæ quoniam cingunt, merito sunt cingula dicta;
Insideat quibus altus eques, lævaque regendis
Gressibus insultantis equi, pendentia frænis
Lora manu teneat, pressisque gubernat habenis:
Aurea ab auriculis dicta est, atque orea ab ore
Chorda rigens auro, frænis demissa tenendis;
Luxuriosa toris, animosaque pectora cingit,
Quæ nequit hoc versu concludi carminis ergo;
Ni solito incedat gravius, celeremque coercens
Sustineat gressum, passuque superbiat aucto,
Antilena subest: sic postilena rigentis
Sub crispis caudæ setis; partisque fruuntur
Nomine quæque suæ, nam rite antica vocantur
Et postica, quibus pars utraque gaudet equorum:
Cuncta Peletronii quæ curæ debita patris
Miratur mortale genus; sed plura parenti
Prætermissa seni deerant, quæ invenimus ipsi,
Addidimusque novis etiam nova nomina rebus.
Nam pensis ornare feri, collumque, caputque,
Et crepitans sistris argentum imponere fronti,
Et mutare genus strati, sellamque vocare,
Qua sedeas, nostro de nomine Ginetæam,
Adductoque pedi stationem apponere fidam,
Et dare quæ servent rebus sua nomina cunctis,

Inventum,

Inventum, mea vita, meum est, mea gloria, Bethi.
Nam quæ fronte micant, frontalia pensa vocari,
Quæ per utrumque fluunt in mentum tempus ab aure
Dicta mihi a mento sunt simentalia; sed quæ
Ingenti perfusa auro colla ardua cingunt,.
A collis placuit mutata parte vocare
Incallata mihi sumunt de pectore nomen,
Cætera de stratis, de clunibus: aurea sed quæ
Ore sonant sistris crepitacula, vocibus aptum
Nomen habent elemento uno vozalia verso.
A pedibus stapedas sistendis diximus, atque
Calcibus a summis equitum calcaria; quæ si
Protensa fuerint acie, tum cuspide acuta
Composito verbo mihi sunt acicaria dicta.
Ast illas sellæ partes, quæ casibus arcent,
Diximus arzones; unde hos qui forte tapetes
Elusi argento capiunt, fulvove metallo,
Sunt caparazones, mutilaque a parte mochilæ.
Quæ quoniam hircina nuper de pelle fuerunt,
Sunt etiam a corio dictæ quandoque coracæ.
Erudiebat amans juvenem dea talibus, atque
Oscula figebat mediis intersita verbis.
Sed jam tempus erat uterum gestante puella
Effugisse patrem, seque eripuisse periclo;
Quandoquidem nec amor, poterant nec furta latere.
Ergo iter arripiunt equites, perque avia lustra
Bis septem erravere dies, & aperta viarum.
Emensos sed iter postquam tellure Libyssa
Excepit læta fessos Maurusia fonte;
Pandit opes Gineta suas, & lusibus aptam
Edocuit gentem cannis certare nigrantem;
Inde viri demum sceptris matrona potita,
Hunc cursus morem, & leges certaminis hujus
Bellaces olim docuit celebrare nepotes.

In celeberrima,
Atque adeo omnium maritimarum maxima victoria
SERENISSIMI
D. JOANNIS AUSTRIADÆ
Ad mare Naupacteum nonis Octobris,
Victa captaque Turcarum classe potentissima.

MAJESTATI PHILIPPI
Hispaniarum Regis optimi atque invictissimi.
Ferdinandus Ruizius Villegas
Exultationem suam
D.

MAxima Christicolæ gentis spes, unica mundi
  Gloria, & o rerum certa Philippe salus.
Idem Asiæ, Libyæque timor; quo sospite, Petri
  Nullos non superet sacra carina Notos.
Auspiciis puer ecce tuis, tuus æquora frater
  Turcicaque imposito sub pede signa terit.
Suscipit æthereas mundus conversus ad aras,
  Et solvit lætus pro duce vota suo.
Gaudia nec tantum sunt hæc hominumque nurumque,
  Sed gaudent summo sidera clara polo.
Et tibi, magne parens, domitorque atque arbiter orbis,
  Gratatur Casio cum Jove turba deum.
Nullaque temporibus præferri prisca fatentur,
  Aurea si redeant sæcula, posse tuis.
Quando magis legum valuit reverentia? quando
  Est populis æqua jus mage lance datum?
Cultior & major sub quo pietasque deorum,
  Aut quo libertas sub duce tanta fuit?
Tanta magistratum majestas? parque minorum
  Obsequium, cultus, gratia, terror, amor?
Quæ potuit tales ætas spectare triumphos?
  Quæ Capitolino tot data dona Jovi?

T Quæ

Quæ templis appensa truci tot ditia ab hoste,
Claraque victrici parta trophæa manu?
Carmina tot, pompasque hilares, lususque, jocosque,
Cunctaque, quæ merito sæcula nostra beant?
Dj tibi dent Pyliæ longissima tempora vitæ,
Prospera qui solus tempora nostra facis.
Et cape, de Getica quem scripsi cæde libellum,
Auspice te, sine quo mortua Musa mea est.
Victor Idumea nam quod de classe triumphat
Austriades, tota est palma, Philippe, tua.

AD EANDEM PHILIPPI MAJESTATEM.

SI tibi sacravi quem, Rex invicte, libellum
Accipis, hæc merces ampla laboris erit.
Si legis, hoc instar magni mihi muneris esto;
Non ego, si placui, Juppiter esse velim.

EXULTATIO.

VIncere (io Pæan!) didicit qui matris ab alvo,
Invicto erudiente patre, invictoque Philippo
Fratre, puer, totis collatis viribus orbis,
Europæque, Asiæque trucis, Libyæque potentis;
Vicit (io Pæan!) vicit, stravitque furentem
Turcarum classem: medio jacet obruta ponto
Gens inimica, bibitque suo freta sanguine tincta.
Mens stupefacta horret, nec tanto credere voto
Audet; vera fidem manifestaque gaudia vincunt.
Vix Naupacteum Carolo satus attigit æquor;
Et domitus Turca, & ferro ter millia dena
Cæsa inimicorum, bis septem millia vinclis
Solvuntur socium, classis deleta, triremes
Tercentum captæ, parva vix parte fugata,

Aut

Aut avidis submersa undis. Non ulla priorum
Huic par pugna fuit; certatum est cominus, hostis
Nec nisi confossus cessit; tot corpora ferro
Cædere opus, vincenda tulit quot millia classis
Barbara, tot cæso capienda ex hoste carinæ.
Et mihi quis Xerxem memoret; vel turpia mollis
Arma viri, & vastis contectum puppibus æquor,
Actiacis Regina fugam quum cepit in undis,
Avertitque rates socias; aut si qua vetustas
Æquorea æternis inscripsit prælia fastis?
Nil quisquam conspexit adhuc, nil auribus hausit,
Nil etiam magna conceptum est mente vel ipsis
Vatibus (in majus referant licet omnia vates)
Commentum, vacuas teneant ut carmine mentes;
Quod non huic uni cedat pugna. Ecce fatemur
Te vicisse etiam vatum miracula vero,
Austriade; atque explesse Pii pia vota, tuique
Fratris, & excelsæ tetigisse cacumina laudis.
Proh patri, fratrique parem! mundique ruentis
Nutantem tenuisse manu, & stabilisse salutem!
O dignum nato Caroli decus! Illius umbra
Terruit armatos olim, pepulitque furentes
Pannonia Turcas; tu, te expectasse sequentem
Ausos & vita spolias, & navibus omnes.
Macte animo juvenis, ducibus prior omnibus, ætas
Quos vel prisca tulit, feret aut ventura; subactæ
Ut terræ cessere patri, tibi serviet æquor,
Et victis dominabere aquis; te oracula quando,
Te præsaga notant vatum responsa futurum
Eversorem Asiæ, Libyæque potentis acerbum,
Et veræ columen fidei. Perge ire, beata
Quo te fata vocant ergo, dextraque potenti
Imperii sedem Solyma cape victor in urbe;
Et Nonas numera Octobris candente lapillo,
Sol quibus ostendit veniens, victamque recedens
Barbaricam vidit classem. Proh Juppiter, illa

Quem

Quem te fama die memorat, quantumque fuisse!
Qua virtute ducis, quæ munera fortis obisse
Militis! Exoriens vix plenos aureus ignes
Extulerat Titan spargens super æquora lucem,
Quum procul Eoa veniens a parte, corusco
Splenduit immanis Turcarum classis ab ortu,
Vix numerum capiente freto. Lætaris, opaca
Ceu quum subsidens sylva trucis ardua tauri
Cornua conspexit Libycus leo, quem gravis urget
Ex longo collecta fames; it murmure vasto
Gaudens, arma licet pastorum dira lacessant,
Et prædæ securus, hians immane sub ira
Infremit, attonitumque nemus, vicinaque torvo
Territat arva sono; violentaque præparat ora
In saniem, curvosque ungues, & frangere magno
Armenti regem lætus confidit hiatu,
Excutiens cervice jubas: sic, magne Philippi
Frater, in occusu lætaris classis iniquæ.
Et viso exultas hoste, & te concipis acri
Victorem fore Marte, licet sit barbarus amplo
Prorarum numero melior, virtute minorem,
Et caussa tamen esse putas, læsosque movere
Arma Deo; gaudesque truci committere bello
Omnia, & exacuis vires, animosque tuorum.
Deseris ergo altam puppim, vectusque phaselo
Ipse tuam lustras classem; navesque per omnes,
Arma viros capere arma jubes, & in agmina certa
Ire jubes sub lege rates: ut Doria dextrum
Cum quinquaginta moderetur navibus agmen,
Ac tribus adjunctis, pelagoque exultet aperto;
Et totidem ducat lævo spumantia cornu
Robora, telluri vicinior, optimus armis
Barbadicus Veneto natus patre, certus iniquæ
Pro patria aut superis pugnando occumbere morti.
Dextrum signa ferat viridantia, & aurea lævum
Agmen; cæruleo signandas ipse colore,

Ter

Ter tibi vicenas binas medio agmine puppes
Eligis ad pugnam ; duri quæ fulmina Martis
Sustineant acie media , cornuque ab utroque
Per spatium distent æquum, quo singula possint
Agmina converti, quo Mavors postulet & res.
Opponisque pares pelago , paribusque lacertis
Ire jubes pulsas , & findere cærula rostris
Æquo omnes cursu ; ter binas mole priores
Præmittis pro fronte rates , curæque Duodi
Committis, summis longe quas æquora tonsis
Frangentes , validi septenus remigis ordo
Commovet: hac recta contendere præcipis hostis
In cuneos, primique ciere exordia belli.
Extremum claudis terdenis puppibus agmen ,
Quas sub Bazano signis candentibus omnes
Ire jubes, classemque sequi , nec munera Martis
Suscipere, arma armis donec connexa ruinam
Alterius classis, populique , ducisque minentur.
Tunc ruat, atque globos classis qua densior arctet,
Rumpat iter nostris , fessosque internecet hostes
Integer, attonitosque novo sub Marte trucidet .
Hinc manicas, corvosque mones , uncosque parari,
Appensisque graves hamis ex ære catenas ;
Adversas religent puppes quæ puppibus, alto
Ne possint errare salo, stabilemque profundo,
Ac terræ similem reddant bellantibus usum .
Qui tormenta regant , & plumbea fulmina tetro
Cum tonitru jaciant succensi pulveris æstu,
Quique ineant primi pugnam, qui deinde capessant,
Designas; ratibus qui transtra, forosque manipli
Defendant, inimica vago qui robora saltu
Transiliant , sternantque suis in puppibus hostes,
Accendisque viros , verbisque ita faris amicis :
  Vicimus , o socii , neque enim Deus æthere ab alto
Nos, licet indignos , oculis non aspicit æquis
Arma manu, Christi pro relligione, tenentes,

Pro

Pro pietate, fideque, & nomine dulcis JESU.
Credite, vindicibus vobis gens impia pœnas,
Quas meruere, dabunt. Sternet navesque, virosque
Dextra potens summi divumque hominumque parentis.
Vos solitæ tantum memores virtutis adeste
His animis, quibus Hungaria pepulistis ab omni
Hos ipsos hostes, quibus ardua colla catenis
Subjicere armati regumque ducumque soletis;
Alta quibus celsæ superastis saxa Guletæ,
Aut Meliten quibus, aut quibus obsidione Madauram,
Hostibus his ipsis, hac ipsa classe fugata,
Hoc ipso domito Turca Numidaque, levastis;
Pectore quo dictam rigidæ de nomine rupis,
Aut quo formosæ cepistis Cypridis urbem,
Quo Samarobrinam, Memoransinumque ferocem,
Geldrudemque truci calcastis Terme subacto,
Quoque rebellantem Illiberim, Bradulosque fugastis.
An non sternendos nostro sub Marte putatis,
Adverso qui bella Deo movere, profanos?
An Christum, sontes qui nos vel morte redemit,
Certa negaturum auxilia? Ipse ecce, ipse suorum
Auspex duxque notat nostræ vexilla salutis,
Et ruit in medios hostes capite arma, sequamur.
Hoc duce quis mortem lætus non appetat? aut quis,
(Verius ut dicam) vitam non servet in armis?
Cerno equidem, nostras circum victoria puppes
Ecce volat, Notus ecce minas deponit & unda,
Et melior nos aura juvat. Nunc promite vires,
Nunc justa fervente ira, quot corpora classis
Illa vehit, dextris tot dilaniata sub istis
Præbebunt mutis optatas piscibus escas,
Vos opibus dites horum gaudebitis, & qui
Implestis terram partis pontumque trophæis;
Ad veteres olim quid ni juvet addere laudes
Classis Agarenæ stragem, cædemque, fugamque?
Ergo agite, & solitas o nunc, Hispana juventus
Et

Et Romana, Deo pro nostro promite vires,
Pro natis, pro conjugiis, pro rebus, & ipsa
Pro dulci vita, mundique salute ruentis.
Ipse ego primus ero, strictis qui cominus armis
Hallibbajani dirum caput ense ricidam;
Insiliamque rates inimici, & signa profundo
Barbara demergam, spoliisque exorner opimis:
Nam quis nostra Deo stabit contra arma regente?
Hæc fatus, celeri veheris super æquora cymba,
Omnia collustrans, disponens omnia, & omnes
Exhortans populos, calcarque volentibus addens;
Donec jam prior spumas salis impia classis
Hallibbajani ductum ducis ære ruebat.
Nam tunc signifera conscensa nave, tubarum
Arma sono Martemque cies, hostemque lacessis.
Ille autem fatis rerum committere summam
Certus, in occursum ratium secat uda tuarum
Marmora, & innumeris late ferit æquora tonsis.
Verum ubi terrifici ventum intra fulminis ictum,
Et tonitru potuere procul tormenta corusco
Designata cito ratium loca tangere plumbo;
Innumeri micuere ignes, subitoque tumultu
Miscentur vasto commota tonitrua ponto,
Et premitur clamorque virum, stridorque tubarum,
Remorumque sonus; nec quid, nisi fulgur & ignes,
Auditur reboatque fragor; crepat æther, & alto
Pulsatis tremuere polis vaga sidera cœlo.
Protinus ignivomi sinuosa volumina fumi
Incubuere mari, cœlumque diemque repente
Eripuere viris, & crebro fulmine tactæ
Amisere rates aplustria, cornua, tonsas,
Antennas, malos, proras, tabulata, rudentes,
Et vasto suspensa mari fragmenta trahebant.
Fulmina nec tantum curvas tetigere carinas,
Discerpsere viros etiam, passimque per omnes
Membratim naves laceri truncique cadebant,

Effuso


Effuſo vaſtos augentes ſanguine fluctus.
Nec minus interea pelagus ſecat utraque claſſis,
Et conferre manus avidi jam cominus, ampla
Æquora percurrunt tonſis, verruntque profundum
Pectora pulſantes remis, & in uncta cadentes
Tranſtra viri; roſtris donec contraria roſtra
Conflixere gravi crepitu, retroque carinæ
In puppes rediere. Volant emiſſa furenti
Tela manu, cœlumque tegunt, & vulnera miſcent,
Et vitas adimunt multis. Diſcordia demens,
Odriſii ſoror & nutrix fidiſſima Martis,
Ingreditur naves, odium ſerit, & movet iras.
Miſcent ultrices Diræ bella horrida, terror,
Armorumque fragor, & Mavortius horror
Incendunt animos populis, ſtimulantque citatos.
Pugnatur valida vi, miſcenturque carinæ,
Confliguntque iterum, cerviſque tenacibus hærent
Injectiſque hamis, oriturque miſerrima cædes.
Tunc tua ne poſſint fortiſſima facta latere,
Enſe caves, magno Carolo ſate; & acribus armis
Conſpicuus, paſſu graderis per tranſtra foroſque
Ingenti, proramque ſubis tela horrida contra,
Contra ſulphurei jaculantia pulveris æſtu
Fulmineam plumbi ſegetem tormenta: nec ignis,
Nec te dira ſuper circumque volantia tardant
Fulmina, vipereo nec ſpicula tincta cruore,
Aut pluvia æſtiva, aut brumali grandine plura.
Nec mora; vix jactis hæſerunt robora corvis,
Quum celeri raperis ſaltu, & te conjicis hoſtis
In puppim, ſtrictoque micas mucrone, ruiſque
Militis in cuneos inimici: unde horrida ferri
In te grando ruit, pictiſque in caſſide pennis
Hæret, & ulla tui clypei pars vulneris expers
Non fuit. Atque utinam cunctos feliciter ictus
Effugeret corpus; minor eſt ſed laudis amore
Ipſe dolor, pergiſque inimicas cædere turmas,
Atque

Atque tuo factos gladio pede victor acervos
Conterere, & gressu cæsas calcare phalanges:
Talis Achilleides Priami quum Pyrrhus in arcem
Erupit, Danaisque viam vi fecit; & ante
Talis erat naves fortissimus Hector Achivas,
Quum rapidis iret flammis dare & urere classem.
Fulmineo sic ense furis, sic obvia cædis
Omnia, & ipse tuis aperisque facisque viam vi.
Pugnat ad exemplum miles ducis, & salit altas
Turcarum in puppes, & cominus ense cruento
Res geritur, ferven sque furit toto æquore Mavors.
Attamen hybernos percurram promtius imbres,
Aut vernos Cilicum flores, quibus Hebrus arenis,
Flaveat Hybla thymis citius, quibus Africa aristis
Expediam, cœlum stellis, & piscibus æquor;
Quam quos ipse viros ferro demiseris orco,
Quotve quibusve modis. Hallibbrajanus Eoæ
Dux classis, dirique Asiæ Libyæque tyranni
Præfectus, stragem cernens cædemque suorum,
Torva fremens, passu graditur per transtra citato,
Falcatum dextra vibrans immaniter ensem.
Et mihi, dixit, erit lux hæc postrema; carinas
Aut impune meas nunquam insiliisse fereris,
Austriadæ gentis dux audacissime Iberæ;
Et vestræ, o socii, cædis comes, aut ego vindex
Acer ero: didici sævas per vulnera mortes
Perficere ipse etiam, gladiumque rotare per artem
Et clypeum, dextraque frui lævaque vicissim,
Et punctim & cæsim ferrum distringere in hostem.
Vos tantum memores vestri ne cedite Iberis
Turpiter, o fortis Turcarum electa juventus,
Et mihi commissi socii: non corpora saxo
Invicto fabricata gerunt, sed carnea membra
Sunt illis, facilique queunt transfigier ictu,
Et quovis ferro violari, & cædier hostes.
Sic ait, & validum repetitis ictibus ensem

Terque quaterque tuæ, magna Tongritide nate,
Inflixit cono galeæ; tamen ære repulsus
Insonuit raucum gladius, tantumque comantes
Excussit summo galeæ de vertice cristas.
Tu furis, atque omnes irarum effundis habenas,
Inque ensem assurgens valida vi percutis hostem,
Qua galeæ thorax committitur, & secat ensis
Fatalem ferri massam, stridensque resolvit
Vocis iter lucisque aditus, & trunca relinquens
Membra, fugit gemitu vita indignata sub umbras:
Erumpuntque uno nati de vulnere mille
Purpurei tepido manantes sanguine fontes,
In geminasque cadit partes scissum ære corusco
Corpus, & ingenti sonuerunt transtra fragore.
Consurgunt gemitu victi, resonantibus æther
Vocibus impletur vincentum, it clamor ad astra;
Et longe naves circum, lateque profunda
Æquora responsant, cœlum ruit omne tumultu.
Tu sævas renovas cædes, & Marte secundo
Quotquot tela viros moverunt obvia, fido
Ense necas, & signa fretum demergis in imum
Barbara; tum spoliis lætaris victor opimis,
Captivasque trahis tercentum ad littora puppes;
Auditum nullis mundi per tempora sæclis,
Et tibi concessum soli. Date laurea, cives,
Victori date serta duci, sacrumque corona
Augusta redimite caput; concurrite, patres,
Et lætum celebrate diem: plebs indiga magnos
Confundat proceres, paret ardua Roma triumphos,
Erigat ingentes procera mole colossos.
Stet bijugus niveo sonipes candore, lupatis
Obryzo fulvis auro, & spumantia mandat
Fræna ferox, currusque leves rotet arduus, auro
Insignes multo, Capitoliaque alta superbus
Dum subit, agglomeret gressus: ferus hostis ahenis
Præeat implicitus mæstissima colla catenis,

Et

Et cadat ante Jovis mactatus corniger aras
Candidus, & rubro fervens in vulnere taurus.
Vicit, io Pæan, vicit: vaga turba per omnes
Ingeminet repetatque vias, clamosaque magnum
Victoris nomen clarum super æthera tollat.
Tu, Pie, tu quoniam Christi regis ardua sceptra,
Christicolum princeps, mundi pater, optime pastor,
Divisas qui primus oves in ovilia sancto
Fædere junxisti, possent rabida ora luporum
Ut vitare, canum spumosis morsibus, altum
Tu melior, tu sancte pater, tu dignior unus
Exorare Deum, & meritas pro munere tanto
Reddere cælitibus grates, dare thura, beatis
Christi sacra frequens adolere altaria donis.
Ergo effunde, pater, pia vota, & sidera pulsa,
Et patribus comitate tuis delubra frequenta,
Indignum ut populum Deus adjuvet; eja age, cæptis
Insistat, largaque dedit quæ munera dextra,
Servet, & ipse sui conculcet nominis hostes.
Tu quoque, Christicolæ gregis arbiter, & vir, & idem
Rexque, parensque, tuæ decus immortale Philippe
Hesperiæ, fortes per lustra emitte molossos,
Armentique feras inimicas ejice sylvis,
Attonitasque truci cornu pete; perge, age, perge,
Dirue turbato Byzantia mænia Turca,
Signaque fatalem Solymum rape victor in urbem,
Nec nisi Dædalia superata collige Memphi.



SPHÆRA MUNDI.

O Dea, quæ mundi radios ſpecularis & aſtra,
Uranie, voſque o ſuperi, quibus ardua curæ
Sidera, qui regitis cœlos, quique alta movetis
Atria; vos aperite polos, vos pandite mundum
Et cœli ſecreta mihi: da guttura centum,
Centum, Phœbe, lyras, centumque ſonantia plectra,
Da totidem voces, meque in centena reſolve
Ora, precor. Fluat Aonio de vertice rivus
Largior aſſueto; nunc nunc fluat omnis in unum
Fons Pindi, totaſque in me ſacer amne ſoluto
Fundat gurges aquas, meque obruat omnibus undis.
Poſt illud deforme chaos, reſque ordine nullo,
Materiamque rudem; faber ingenioſus Olympi
Diſtinxit geminis totum regionibus orbem.
Altera mixtorum ſpecies, diverſaque rerum
Corpora, & æternas elementa gerentia pugnas
Occupat in medio; centrum invariabile mundi
Fixa jacet tellus; terram circumfluus alto
Æquore Neptunus, ſed non totam undique cingit,
Obruta ne pereant animalia fluctibus: aer
Rarior ambit aquas, levis aera circuit ignis,
Et nitidam puro contingit vertice Lunam.
Cœlum. Altera nobilium ſedes æterna deorum
Æthereos orbes, & Olympica continet aſtra,
Neſcia ventorum, nigræ caliginis expers.
Non illic habitant nubes, ſed ſidera ſemper,
Æternique micant ignes, morituraque nunquam
Lumina, & æternos æterna moventibus orbes
Vita datur; non hos extinguere longa ſenectus,
Non vis ulla queat, non quod rapit omnia tempus.
Hanc etiam miro divum pater ordine molem
IX. Cœli. In cœlos ſecuiſſe novem, totidemque dediſſe
Orbibus aurigas fertur, primumque vocaſſe
Primum mobile. Mobile, quod reliquos complectitur undique cœlos.
Cur-

Currere non illic ſtellas, non ulla vagari
Aſtra dedit: poſthac ſtellatus in æthere circus — *VIII. Sphæra.*
Venit, ubi certo diſtantia ſidera tractu
Fixa manent: dedit inde vagos errare planetas,
Perque ſuos orbes diſcurrere. Cernitur illic
Dentigera cum falce Senex, nimiumque decora — *Saturnus.*
Stella Jovis Phaeton, dignam cui ſidera formam, — *Juppiter.*
Paſtor avis Scythicæ miſerabilis ille Prometheus,
Contulit. Inde ſuo ſtat belliger orbe Gradivus, — *Mars.*
Et ſecum antiquos Pyrois teſtatur amores.
In medio tu, Phæbe, micas; natumque ſupremo — *Sol.*
Fulmine dejectum cæleſtia tollis ad aſtra,
Et male conductos curſu meliore jugales
Ire doces: ſedet inde Venus, Veneriſque binomen — *Venus.*
Lucifer, unde ſuum quæſivit Iberia nomen;
Quique ratus forma ſe vincere poſſe Dionem eſt.
Te ſequitur, formoſa Venus, celer ille deorum — *Mercurius.*
Nuncius, Aſſyrio ſcrutatus acumine cœlos.
Virgoque fraterno radians ſplendore triformis — *Luna.*
Inferiora tenet mundi loca; quicquid & aer,
Quicquid Neptunus, quicquid turrita Cybele,
Et Vulcanus habet, Lunæ complectitur orbis.
Hoc ubi ſidereos prudens natura penates — *Motus primi mobilis.*
Ordine diſpoſuit; motu primum ire diurno
Fecit ab Eois ad Iberica regna per Auſtrum,
Atque orbes raptare alios, ſphæraſque minores
Pene reluctantes, mundumque adverſus ituras, — *Motus aliarum Sphærarum.*
Tendere per Libyen a veſpere fecit ad ortum.
Denique per mundi nunquam variabile centron
Ad Boream rectus deducitur axis ab Auſtro — *Axis.*
Vertice finitus gemino; cui nixus utrinque — *Poli.*
Volvitur unimoda ſemper vertigine cœlum.
Alter in occiduos populos Aquilone peruſtos
Deſpicit, & nobis ſe ſponte videntibus offert,
Æternaque facit Geticos nive ſurgere montes.
Alter inhumanos Garamantas, & Indica longe

Rura

Rura videt, noſtroque procul ſemotus ab orbe
Lumina noſtra fugit. Spaciis æqualibus inde
Inter utrumque jacens a cardine diſtat utroque
Æquinoctialis. Linea, quæ mundum ſinuoſo margine cingit,
Atque dies geminos totidem cum noctibus æquat.
Quattuor ipſa pari diſtantes ordine circos
Circulus arcticus. In medio poſita aſpectat. Nitet Arcticus illic
Circulus antarcticus. Circulus, hinc fulget ſed contra Antarcticus: illum
Signiferi vertex duplici conterminus Arcto
Efficit; hunc alium, quem nubibus aſpicit Auſter.
Inde Lycaoniam ſed fervidus orbis ad Urſam
Tropicus Cancri. Tendit, & auſtrales tropicus brumalis ad oras.
Tropicus Capricorni. Phœbus utrumque facit, Phœbum convertit uterque.
Nunc declivis enim, nunc in ſublime vagatur.
Cogitur ardentes Sol inde reflectere currus,
Quem (modo dum premitur, dum ſe modo tollit in altum)
Ægoceros donat nobis, & Carcinus aufert.
Hi numero quamvis non ſint niſi quattuor orbes,
Quinque plagæ. Quinque tamen nitido faciunt habitacula cœlo.
Semper habent extrema nives, mediumque calore
Perpetuo incultum facit intolerabilis æſtus;
Semper enim ardentes illa regione qudrigas
Phœbus agit: duo ſed tepidis habitanda colonis
Omniparens natura dedit, mediumque tenere
Juſſit, & immenſo cum frigore miſcuit ignem.
Coluri. Hinc quaſi certantes gemini per ſumma Coluri
Orbis eunt, mundique polis: ſecat alter utrumque
Obvius; hic paribus diſcriminat ardua punctis
Solſtitia, atque vagi declivia maxima Solis.
Biſque dies alter ſed circus noctibus æquat.
Adde quod in Stygiis medium ſe abſcondit uterque
Vallibus, & medium noſtris ſe aſpectibus offert.
Horizon. Hos prope finitor ſpazioſo margine viſum
Terminat, & medium ſecat incurvatus Olympum,
Partibus & ſuperis partes diſterminat imas,
Quas hominum aſpiciunt oculi: namque altera cœli
Pars

Pars occulta fugit, pars cernitur altera nobis.
Hic etiam geminatus erit; nam rectior alter
Suppositos calido videt æquatore Sabæos,
Atque Arabas, nullaque polum plus parte levatum
Aspicit; at populos ultro citroque colentes
Declivis finitor habet; quibus alter ad imum
It polus, atque alio semper plus tollitur alter.
Tu quoque, qui cœli per bina cacumina transis,
Lucis adæquator mediæ, descriptus in albo es
Cœlicolum, per te variæ distantia terræ
Nota sophis; certo tu gentibus indice monstras,
Quantum aliis distet quævis regionibus ora.
Hinc & Olympiacos inter latissimus orbes
Signifer obliquo circumvolat æthera gyro,
Findit & æquantem medium; parsque una Tomitas
Vertitur ad boreos, pars altera vergit ad Indos
Austricolas; lucet medio via Solis in orbe,
Et certum demonstrat iter, Phœbumque meantem
Recta videt: speciosa gerens animalia circus,
Bissena illustrat decoratus imagine cœlum.
Prima nitet tua, Phryxe, pecus, cui fulvius auro
Vellus erat; quæ te peregrinam ad Colchida vectum
Pertulit incolumem, & ponto famosa daturam
Nomina, deseruit miserandam in fluctibus Hellem.
Hic dum Phœbus erit, vigiles estote parandis
Frugibus agricolæ; vos tradere semina terris
Astra manent: si cura tenet vos fænoris ampli,
Reddite prægnantes fœcundo vomere campos.
Tu quoque, Phœnicis vector lascive puellæ,
Cœlum habitas, septemque caput tibi Plejades ornant,
Assuetæ turbare fretum, timidisque minari
Classibus, & meritæ tractare cubilia divum.
Tres etenim nupsere Jovi, geminæque parenti
Æquoreo; Mars, una tibi; tibi, Sisyphe, conjux
Una fuit; sed sola latet tua, Dardane, mater,
Ora manu vultumque tegens, ne flebile Trojæ
Exci-

Horizon rectus.
Horizon obliquus.
Æquator.
Zodiacus.
Linea ecliptica.
Aries.
Taurus.

Excidium, patriæ ne fata indigna cadentis
Cerneret. Has etiam non indignatus alumnas,
Ut pater effusi Bacchus dispendia lactis
Munere pensaret, ne tu sine cornibus esses,
Sidere septeno fecit tibi cornua, Taure.
Gemini. Et vos, Ledæi juvenes, quos unus & ingens
Ad superos evexit amor; nam funera fratris
Interitumque sui pietas fraterna redemit,
Atque ideo alterno nunc ordine fulget uterque,
Alterutro surgente cadens: bonus ipse domandis
Castor equis, Pollux contendere cestibus audax;
Rector uterque maris, nebulas ventosque fugare
Frater uterque potens, tumidisque imponere pacem
Fluctibus, insanumque freti placare furorem.
Cancer. Æthera quin etiam superatus ab Hercule Cancer
Officio Junonis habet, qui morsibus ire
Ausus in Alcidem, fuso Lernæa cruore
Infelix vada turbavit: pecuaria terræ
Arcadiæ ad præsepe nitent, quæ murmure quondam
Insolito pavidos consternatura gigantes,
Leo. Victores fecere Deos. Leo proxima Cancro
Signa tenet, Leo dux nemoris, princepsque ferarum
Inclytus, Herculei non ultima palma laboris,
Qui Nemeæ fines, & pauperis arva Molorchi
Consuerat, tristesque metu vexare Cleonas:
Sed tandem meritas prostratus ab Hercule pœnas
Invita Junone dedit; nunc redditus astris
Signiferum exornat, gestatque in acumine caudæ
De Bereniceo sublatos vertice crines.
Virgo. Hunc sequitur Virgo, quæ postquam evanuit ætas
Aurea, & immiti successit ahenea mundo
Ob scelera in terris, hæc inferiora reliquit,
Libra. Ad superos atque astra volans. Hinc pendula Libræ
Brachia; & irata quondam tellure creatus,
Scorpius. Qui nimis audacem laniavit Oriona, serpens.
Nunc autem accusans hominum temeraria fata
Obser-

Observare modum docet, & sua pondera quemque
Metiri, ne Thersites ignavus Achillem,
Ne Telamoniaden Hector, ne more gigantum
In superos mortalis eat. Loca proxima Chiron — Sagittarius.
Occupat, Æmonios arcus pennataque vibrans
Tela manu, quo nec melior, nec justior unquam
Visus in Æmathiis, potuit qui solus amœna
Æacidem domuisse chely; sed ab hospite telo
Occidit, & virus lethale senilibus hæsit
Ossibus: o nimium magnis consueta nocere
Fata viris, vix o superis placabile fatum!
Si quid enim virtus, si quid medicina valeret,
Si quid Thessalicis collectæ in montibus herbæ;
Hic Chiron modo juste fores, & longa maneret
Vita tibi. Sedet inde Caper dilectus Iaccho; — Capricornus.
Et solitus portare nives, urnaque timendus — Aquarius.
Imbrifera juvenis, patria sublatus ab Ida,
Qui meruit servire Jovi, fessisque parare
Dulce merum superis, peperit sibi forma ruinam;
Ingens forma malum, semper discrimine forma
Plena fuit, semper nocuit præstantia formæ.
Tindaris optaret nunquam formosa fuisse,
Ipsaque deformem peteret Lucretia vultum.
Extremi Phœbum aspiciunt, atque ultima cœli — Pisces
Signa tenent gemini Pisces; quorum alter in Austrum,
Alter in adversum Boream contendit, & Hæmum
Stridentem gelidis, quas procreat ipse, procellis.
Non illis Veneri gratum magis ardua cœli
Regna tenet sidus, puero nec Cypridis. Olim
In pisces Veneremque ferunt, Natumque figuram
Mutasse, Euphratem ad fluvium, sævasque gigantum
Vitavisse manus. Non illis at Syrus hamos,
Non ullos fallax casses, aut vincula nectit.
Relligio his mensas onerare, famemve fugasse.
Hæc per signa vagans discriminat annua Phœbus
Tempora; ver faciunt cari duo sidera fratres,


Vector & Europæ, vectorque Athamantidos Helles.
Ver placidum, ver ſole tepens, ver flore decorum,
Ver quoque odoriferum, ver læta roſaria portans;
Veris amica Venus, prænuncia veris hirundo,
Vere ſolet dulci ſpirare Favonius aura.
Æſtas nuda venit placidi poſt tempora veris,
Grata æſtas, nimiumque avidis ſperata colonis;
Æſtas verus amor Cereris, quæ credita terræ
Supra humeros frumenta gerit, velataque culmis
Tempora, & agreſti redimitum pectus ariſta.
Quam peragunt tria ſigna, pia cum Virgine Cancer,
Herculeuſque Leo: lapſo Chelys occidet æſtu,
Peſtiferi Chelys autumni certiſſimus index,
Dum modo frigoribus, flammis modo percita languent
Corpora, & incerto nos aere decipit Eurus;
Dum Baccus pater, & maturis vinitor uvis
Callidus, ipſe merum autumnus diffundit ab ore.
Barba liquore madet, pendent cervice racemi,
Tempora ſunt hedera, ſunt brachia cincta corymbo.
Scorpius hunc ſævo metuendus verbere caudæ,
Et pius Arcitenens, æquataque pondera Libræ
Lance pari faciunt. Niveis ornata capillis
Autumno ſuccedit hyems, dum terra pruinis,
Et nivibus veſtita riget, dumque acria pungunt
Frigora, & arboreas violento turbine frondes
Horridus evertit Boreas, dum pendula tectis
Stat glacies. Hyemem faciunt ſigna ultima Piſces,
Dardaniuſque infans, & quem male rodere vitem
Pœnituit, Bacchi maculans altaria tabo.
Cætera nunc agedum, quibus illuſtratur Olympus,
Uranie, dic aſtra mihi (te namque deorum
Nemo prior reſerare poteſt) quo tollar in altum.
Quæ juga, quos me, Diva, jubes aſcendere montes?
Archas. Jam videor ſpectare deos, jamque Arcada plauſtri
Cynoſura. Cuſtodem aſpicio; video Cynoſuran, & alto
Helice. Axe Helicem, variis ductrices claſſibus urſas.

Altera

Altera nam Tyrios, Danaos regit altera nautas;
In mare neutra cadit, neutra Oceanitide lympha
Mergitur: hoc etenim vetuit Jovis invida conjux.
Inter utramque ferum vasta cervice Draconem
Aspicio, magni recubantem fluminis instar.
Ille sua Herculeos aucturus morte triumphos
Inclyta servavit pomis fulgentibus arva.
Amphitryoniadem video radiare coronam
Omnibus ornatam numeris, cunctisque decoram,
Quas Arabum tellus, aut quas habet India, gemmis.
Cujus luce videns tenebroso in carcere Theseus,
Antra pererravit tenui labyrinthia filo,
Et rediit tauri domitor. Pulchram Orpheos inde — Lyra, seu Fidicula.
Cerno Lyram, quæ sæpe sui dulcedine cantus
Saxa ferasque loqui, Thracum descendere montes,
Hebrum vertere iter, Rhodopen descendere fecit.
Hic quoque Neptuni te candide vidimus ales — Cycnus.
Cantantem resono venientia gutture fata.
Hic etiam misera cum conjuge Cephea vidi — Cepheus.
Æthiopem, immanique datam Cepheida monstro. — Cassiopeja.
O miserande parens, sobolesque infausta parentis
Andromede, stolida pœnas pro matre dedisti! — Andromede.
Illa etenim æquoreas vesana lacessere nymphas,
(Ut vivax aquilam cornicula, Marsya Phœbum)
Ausa fuit; sed tu scopulis religata marinis
Impia maternæ purgasses crimina linguæ,
Ni Jove prognatus, Phorcynidos ille Medusæ
Victor Abantiades, duris tibi vincta catenis — Perseus.
Brachia solvisset, fatoque immane dedisset
Pectora Palladia circumdatus ægide monstrum.
Hunc tandem indomitæ vires, immensaque virtus
Cum tot sideribus requiescere fecit olympo.
Nec procul anguipedem, quo nemo sagacius unquam — Heniochus Erichthonius, seu auriga.
Curribus admotos potuit frænare caballos,
Vidimus, inque humero signum pluviale sinistro
Oleniæ pecudis; quæ dicitur ubera magno — Capra Jovis nutrix.

Aega

Aega dedisse Jovi, fæcundaque cornua gestans
Hædi. Imbriferos Idæ genuit sub montibus Hædos.
Ophiulcus, seu anguifer. Vidi etiam Phœbo pulchraque Coronide natum
Anguiferum Juvenem, qui tristia fata mederi
Arte sua docuit, manesque emergere bustis,
Et superare feram, quamvis domat omnia, mortem.
Sagitta. Nec non Caucaseæ tabo madefacta volucris
Tela, quibus medio cessit de pectore vultur,
Et quorum auxilio defessa quiescere membra
Aquila. Dædalii potuere senis. Jovis ales in æthra
Inde mihi conspecta fuit; quæ prima ferarum
Ausa renascenti est oculos opponere Phœbo.
Quique domos pavidæ nimis infestabat Ioppes
Cetus, seu pistrix. Cetus atrox, nec non Cithara qui captus amœna
Delphin. Securum ad patriam deduxit Ariona Lesbon.
Pegasus. Hic & præpetibus volitantem Pegason alis
Cernimus, excelsum quo raptus in æthera fortis
Bellerophon Lyciæ rupit tria fila Chimæræ.
Heu! Juvenis miserandus erat prope vectus in altam
Cœli oram, numeroque deum se inferre parabat &c.



ÆSOPI FABULÆ.

I.
Aquila, & Vulpes.

INter Reginam volucrum, Vulpemque ſagacem
Nuper amicitia ſociali fœdere juncta,
Contiguas habitare domos ſtatuere, vigeret
Officiis ut adactus, & aſſuetudine longa
Vicinis conflatus amor, firmuſque maneret.
Nec mora, Dictæi Jovis armiger arboris altæ
Affixit ramis nidum, pulloſque creavit.
Occupat huic Vulpes vicina arbuſta, paritque
Haud ita ſpernendam ſobolem; ſed Vulpe profecta
Dilectis, ut fit, quæſitum pabula natis,
Apta miniſteriis ales Jovis, indiga paſtus
Evolat, & Vulpis natos abſentis ab ipſis
Extrahit arbuſtis, & adunco ſurripit ungue,
Ereptoſque ſuis cum pullis devorat omnes.
Ergo ubi natorum rediens triſtiſſima Vulpes
Funera & auctorem mortis cognovit, obortis
Lumina perque genas lacrymis, non morte ſuorum
Tam dolet infelix, miſeret quam ſortis iniquæ,
Vindictæque inopis; volucrem quod tardior ipſa,
Ut decet, ulciſci propria virtute nequiret.
Quod licet, & miſeris facile eſt, & quod datur unum,
Eminus infeſtam dira prece devovet hoſtem.
Haud igitur multum poſt tempus, ſacra quibuſdam
Rure procul capra facientibus, advolat ales
Prædatrix, fruſtumque rapit, prunaſque ſequaces,
Et nido apponit natis; ſed flantibus Euris
Excita nidus ſuccenditur undique flamma.
Implumes pulli, nec adhuc cœlique Joviſque
Gnari, dum flammas fugiunt, cecidere jacentes
Semuſti in terram: Vulpes accurrit, & omnes
Ipſo in conſpectu matris laceratque voratque.

Aſ-

Affabulatio.

Fœdus amicitiæ violatum ulciſcier ipſe
Non potes ? ultores ſpera ocius adfore divos.

II
Aquila, & Scarabæus.

IN luſtrum, ſectante Aquila, tremebundus opacum,
Antiquum hoſpitium Scarabæi, præpete curſu
Aufugit Lepus, & ſupplex ſervarier orat.
Ille Jovis volucrem per magni ſumma tonantis
Numina, perque deos omnes divaſque precatur,
Exiguum quanquam, ne ſe aſpernetur amicum,
Neu leporem violet; miſerataque ſupplicis, illum
Illæſum tugurj hoſpitio tutumque relinquat.
Nuncia ſed ſuperum regis, commota furore,
Alarum oranti pennas incuſſit, & ungue
Arreptum miſere leporem roſtroque recurvo,
Devorat, & laceros morſu depaſcitur artus.
Exitio Scarabæus at hoſpitis, atque repulſa
Indignatus, avem ſequitur Jovis, ut videat quo
Nidificet regina loco pariatque volucrum:
Nec mora, perſequitur, nidumque audacius intrat,
Ovaque diſrumpit pedibus revoluta retrorſum.
Illa grave acceptum vulnus mirata, nec hoſtis
Conſcia, nec facinus qua quis patraverit arte,
Editiore loco nidum partumque reponit.
Illic ſed rurſum vindex Scarabæus, eodem
Affecit damno miſeram. Tunc denique patri
Cœlicolum raptu Ganimedis grata volucris,
Mentis inops ipſum in cœlum conſcendit, & ipſo
Tertia magnanimi gremio Jovis ova locavit
(In Jovis eſſe etenim tutela dicitur ales)
Atque deo ſupplex commendat, & anxia multa
Cum prece, depoſitum quo ſervet ſedulus, orat.

Ille

Ille tamen tetro pilula de ſtercore facta
Avolat, inque ſinum divumque hominumque parentis
Immundamque olidamque polo demiſit ab alto.
Excutit ille fimum celer, & dum ſurgit ab aureo
Divorum pater atque hominum, quo forte ſedebat,
Sublimis ſolio, pariter fulvæ alitis ova
Projicit oblitus, projectaque conterit. At quum
Arte nefas factum Scarabæi novit, ut ipſe
Ob læſum hoſpitium, ſe ſeque deoſque ſuperbe
Acceptos, Aquilam ſic ulciſcatur iniquam,
Quæ ſe non tantum graviter læſiſſet, in ipſum
Impia ſed cœli patrem terræque fuiſſet;
His pater eſt Aquilam redeuntem affatus amicam:
Jure quidem quicquid damni es perpeſſa, tuliſti.
His etenim, ut merita es, Scarabæus ſæviit in te
Affecitque malis: ſed cum rareſcere nollet
Juppiter omnipotens volucrum genus armigerarum;
Conſultum voluit Scarabæo, ut fœdere pacto
Ire in amicitias Aquilæ curaret: at illo
Haudquaquam Jovis imperio parente, Aquilarum
Conſtituit partus, ac tempus contulit, in quo
Gens Scarabæorum nullis appareat oris.

Affabulatio.

Ne contemne prior quenquam, neu læde minorem,
Præſertim ulciſci nequeat quum nemo coactus.

III.

Philomela, & Accipiter.

TEreos inceſtum patula ſuper arbore, non jam
Muta, ſed argutis cantu Philomela ſonoro
Addita paſſeribus, plangens de more canebat.
Cum miſeram prædo Accipiter, dum quæritat eſcam,
Et videt, & furtim violento corripit ungue:
Illa prece Accipitrem multa moribunda rogabat
Oppri-

Opprimeret ne se, minimo quæ corpore parva
Esca futura foret ventri prædonis acerbi
Implendo; in volucres, si pastus indigus esset,
Majores, satur unde foret, sævire deceret.
Ille sed obtutu torvo conversus, & illam
Ungue premens. Quidnam, inquit, ais scelerata? putasne
Me fore tam stultum, prædam ut quam sorta paravi,
Dimittam, sequar absentem, & spe pascar inani?

Affabulatio.

Quod partum est rerum, sapiens ne amitte, furentis
Sed reputa, certas pro incertis linquere prædas.

IV.

De Vulpes, & Caper.

IN puteum Caper & Vulpes æstuque sitique
Compulsi pariter descendunt; quumque bibendi
Est exemta sitis, reditumque pararet uterque,
Nec revocare gradum, superasque evadere ad auras
Possent, attonito Vulpes ait improba Capro:
Hirce, bono esto animo, quoniam mihi multa putanti
Succurrit ratio, reduces qua simus uterque.
Nam tu, macte animo, rectum (si vera monenti
Credideris, neque me cerebri reputaris inanem)
Erige te, admotis pedibus primoribus istum
Ad murum, mentoque imum sub pectus adacto
Cornua, quæ tereti tibi sunt in fronte, reclina;
Ut prior ipsa tuum per tergus, perque verenda
Cornua transiliens, putei me in margine sistam,
Educamque manu tunc te. Caper horridus illi
Credidit, erigiturque pedes procerus in imos,
Tergaque, cornuaque erectus Vulpi dedit. Illa
Accurrit, dorsumque fuga & data cornua vincit,
Et puteum superat saltu, tutoque locatur.
Vixque sibi credens tantum evasisse periclum,
Cursi-

Cursitat huc illuc, puteique in margine ludens
Lætitia exultat victrix, & despicit Hircum.
A quo sed fractæ fidei incusata, jocose
Respondet: Tantum sensus si mente fuisset,
Quantum setarum mento est tibi, barbiger Hirce;
Haud prius in puteum te descendisse fuisset
Par, quam quum reditus foret explorata potestas.

Affabulatio.

Eventus prudens rerum scrutare, priusquam
Accedas, aut rem temere aggrediaris agendam.

V.

De Vulpe & Pardo.

DE specie Pardo & Vulpi certamine sumpto,
Distinctam maculis pellem lucentibus ille
Ostentabat agens, & versicolore micabat
Corpore; quum Vulpes: Quanto speciosior, inquit,
Ipsa ego, cui corpus si simplex contigit, at sum
Versicolorem animum, & mentem sortita sagacem.

Affabulatio.

Ne pete laudari specioso corpore, mentem
Sed cole: pulchrum animum præstat, quam corpus habere.

VI.

Sus & Canis.

A Cane Sus, odium natæ objiciente Diones,
Porcinam in templum non admittentis edentes,
Opprobrio quondam, & liventi voce petita:
Hinc, ait, hinc potius, quo me dignetur amore
Nata Jovis, promtum est cognoscere; quæ neque morte,
Nec damno patitur, quin aversetur, ab ullo
Me lædi quamvis minimo. Tu pessima, sed tu
Et vivens male oles, & postquam es mortua, pejus.

Affabulatio.

In laudem converte tuam quæ objecerit hoſtis,
Si ſapis, & rabiem vinces mordacis honeſto.

VII.

Vulpes & Leo.

VIdiſſet nunquam Vulpes quum cauta Leonem,
Atque illi media in ſylva occurriſſet; acerbo
Uſque adeo, primo aſpectu, perculſa timore eſt,
Ut nihil abfuerit quin mortem exanguis obiret.
Obvia ſed rurſum regi quum facta ferarum
Eſſet, & attonito retro veſtigia greſſu
Vertiſſet, timuit certe, pavidoque receſſit
Calce tremeus; verum non eſt exterrita ut ante.
Tertia ſed poſtquam occurrit, viditque ferocis
Ora feræ, non tantum auſa eſt conſiſtere, verum
Alterna accedens regem eſt affata loquela.

Affabulatio.

Acceſſus hominum nimios vitato modeſte,
Uſu quandoquidem vileſcunt omnia multo.

VIII.

Feles & Gallus.

CRiſtatum Feles Gallum venatus, & illum
Nonnulla cupiens cauſſa & ratione vocare;
Accuſabat agens, turbatoremque vocabat
Nocturnæ pacis, media qui nocte quietem
Rumperet aſſiduis clamoribus, ægraque ſomno
Haudquaquam ſineret mortalia corda vacare.
Excubitor contra ſe ſe excuſabat, id ipſum
Se facere, ut ſegnes opera ad conſueta vocaret,
Ex uſuque hominum fieri dicebat: At, inquit
Prædator, matri quum te tamen improbe miſces
Concubitu infando, cariſque ſororibus; an non
Impius

Impius es, veneremque petis, ſcelerate, nefandam?
Nuncia ſed lucis volucris Tithonia, quæſtus
Se facere hoc etiam cauſſa dominique domuſque
Dicebat; namque inde pari mortalibus ova
Plurima, pullorumque genus tum creſcere, & omnem
Gallinis Galliſque domum complere beatam.
Quum Catus: Heus, inquit, pulchris rationibus & ſi
Exſuperes; tamen hinc nunquam jejunus abibo.
Sic ait, & miſeri fauces perſtringit acutis
Dentibus, & multo ſolvit jejunia morſu.

Affabulatio.

Ne peccato: boni ſpecie peccare maligna
Quum ſiquidem natura nequit, tunc peccat aperte.

IX.

Vulpes.

INcidit in caſſes Vulpes, caudaque reſecta
Evaſit laqueos infames, præque pudore
Vivendam haudquaquam vitam pudibunda putabat.
Ergo alias capere inſidiis & fallere Vulpes
Decrevit, ſpecieque boni communis ut ipſæ
Abſcindant etiam caudas ſuadere; levaret
Dedecus ut proprium communi ſedula damno;
Undique collectis igitur reſcindere cunctis
Suadebat caudas, probro quæ Vulpibus eſſent;
Nec tantum probro, aſt oneri quoque ſemper inepto;
Atque ſupervacuo. Ridens quum e Vulpibus una:
Grandior heus noſtri generis ſoror, id tibi ſoli
Quod conducit, ait, dum ſuades omnibus, erras.

Affabulatio.

Conſule quod rectum eſt, conſultoremque caveto.
Turpe tuam eſt aliis, & iniquum conſulere in rem.

X.

Vulpes & Rubus.

Anceps dum vitat Vulpes quod forte periclum
Gliscebat, setem conscendit; cumque fuisset
Dum properat casura, Rubum complectitur ulnis
Acribus hirsutum spinis, perfossaque duris
Sentibus exclamat: Miseræ mihi, namque juvari
A te dum posco, tu me pejoribus urges,
O Rube, & infestas damnis; nec, pessime, quicquam
Porrigis auxiliis, pro quo tamen uris egentem.
Cui Rubus: Errasti, Vulpes, ait; an ne putasti
Me capere, hamatis qui sentibus omnia carpo?

Affabulatio.

Poscito opem superos; stultum est nam poscere ab illis
Auxilium, quibus est rabies innata nocendi.

X I.

Vulpes & Crocodilus.

De genere, & veteri de nobilitate parentum
Certabant Vulpesque sagax, Crocodilus & ingens,
Hyblæique soli, & septemplicis accola Nili.
Et magnum certamen erat; sed multa superbe
De splendore patrum, disciplinisque suorum,
De studiisque, scholisque, atque omnibus artibus, ille
Quum narrasset; ait Vulpes: Verum, optime, si tu
Conticeas, veteri fueris quam exercitus ævo,
Ex te, atque ex ipsa callosa pelle videris.

Affabulatio.

Discito vera loqui: mendaces arguit ipsa
Res, de qua sunt magnifice permulta locuti.

XII.
Galli & Perdix.

FOrte domi Gallos clari Titanis alumnos
Pascebat quidam, cum quis permisit & emtam
Pascere Perdicem; volucres quam lucis amantes
Pellere, & infestis cæpere affligere rostris.
Illa quidem merito dolet anxia; namque putabat
Se, quoniam specie multum distaret ab illis,
Tanquam alienigenam tractari; sed tamen ipsos
Quum conspexisset paulum post temporis, atris
Vulneribus cædi miseros, cæcisque vicissim
Concertare odiis; mærore soluta, quid inquit,
Amplius afflicter? videam cum tristibus ipsos
Intestina odiis, suaque in se se arma ciere?

Affabulatio.

Ferto bono prudens animo, si injuria ab illis
Est illata tibi, sibi qui nec parcere norunt.

XIII.
Vulpes.

INtrogressa domum Vulpes pictoris, & omnes
Perscrutata ædes, & singula mimica vasa,
Incidit in larvæ mirum caput, atque magistri
Arte laboratum multa; mirataque, utrisque
Suscepit manibus ridens, &: Juppiter! inquit,
Quale caput! cerebri sensum sed non habet ullum,

Affabulatio.

Spernito corporeæ formam speciemque figuræ,
Una homines ratio facit, & sapientia dignos.

XIV.
Carbonarius & Fullo.

ÆDibus in magnis cum Carbonius ater
Olim conductis Ephyreo degeret ære;
Fullonem accedens, sub tecto habitaret eodem,
Cum prece sollicitus multa blandusque rogabat.
At Fullo excusans se se: Potero, inquit, amice
Haudquaquam facere, ut petis: est mihi namque verendum
Ne meus alba labor quæ reddit, protinus ipse
Carbonis furva perdas fuligine tincta.

Affabulatio.

Effuge disparibus sociari; obliqua bonorum
Corrumpunt perduntque hominum commercia mores.

XV.
Piscatores.

QUum Piscatores e vasto linea ponto
Retia vix multa traherent vi, nempe putabant
Ingentem prædam squamosæ gentis inesse
Cassibus usque adeo gravibus; lætique procaci
Exultare animo, & sua promere gaudia vultu.
At postquam in bibulum traxerunt retia littus,
Viribus innixi sine fine ad pondera multis;
Et gregis undivagi paucos in cassibus esse
Conspexere; gravis sed lubrica pondera saxi
Arcto verriculi implicita illaqueataque nexu:
Tunc fremere, & mœsto tunc indulgere dolori;
Tunc omnes non tam nodosi piscibus essent
Quod vacui casses, gemere & tristarier; omni
Quam quod concepta spe lusi, gaudia luctu,
Lætitiam mutare gravi mœrore premantur.
Cum quidam ex illis natu jam grandior: Ut quid
Urimur, atque animos cur despondemus inertes,
O socii? læta potius persistite fronte.

Læ-

Lætitiæ ſoror, atque comes fidiſſima ſemper
Triſtitia eſt; & nos lætatos antea tantum
Quis dubitet, fuerit quin par triſtarier, atque
Quo ſumus affecti, aut damnis majoribus uri?

Affabulatio.

Humanæ memorem ſortis, nec proſpera tollent,
Nec jam conceptis frangent contraria damnis.

XVI.

Jactator.

AD patriam peregre, dulceſque reverſus amicos,
Multa foris ſe ſe ſumma cum laude ferebat
Vir quidam geſſiſſe; atque inter cætera ſaltum
Nempe dediſſe Rhodi narrabat præpete planta,
Quem prævertiſſet nemo; teſteſque gerendæ
Quique rei intererant, quique auribus omnia certis
Audierant, multa jactans cum voce ciebat.
Heus bone, tum quidam de adſtantibus, heus bone, dixit,
Haud opus eſt, ſi vera refers, haud teſtibus ullis.
Et tibi quandoquidem, præſto eſt Rhodus, en quoque ſaltus.

Affabulatio.

Promta rei fuerit niſi demonſtratio geſtæ,
Turpe viris vano laudem ſermone mereri.

XVII.

Impoſſibilia promittens.

QUum deſperatus medicis pauperculus æger
Eſſet, cælicolas ſupplex orabat: Olympi
O regnatores, miſero conferre ſalutem
Si libet, atque meæ demum ſuccurrere vitæ;
Spondeo (opis pretium) centum taurilia dona.
Audiit hæc conjux, & tanto exterrita voto:
At tibi, mi vir, ait, ſuperis quod muneris offers,
Ut modo convaleas, ubi nam? Proh, ſuſcipit ille,
Stulta,

Stulta, fore ut valeam credis? vel dona reposcant
A me cæliculum centum taurilia turmæ?

Affabulatio.

Multa quidem moltis facile est promittere, quæ re
Haudquaquam, ut decuit, sperant præstare subinde.

XVIII.
Malignus.

VIr, scelere ante alios immanis, Apolline Delphos
Insignes recta contendit, scilicet ipsum
Latoum vatum patrem ut tentaret; & ecce
Corripuit sturnum dextra, pugnoque prehensum
Occuluit Tyria volucremque manumque lacerna,
Et tripodem juxta stetit imperterritus, atque:
Delphice fatorum interpres, qui vatibus, inquit,
Inspiras augur mentes, aperisque futura,
Dic age, quod manibus teneo, vivitne, supremo
An functum fato nigris est manibus auctum?
Sic rogat, atque dolo Tegeæum fallere turpi
Sperat, & astuta deceptum ludere fraude.
Nam si defunctum fato dixisset Apollo,
Oblaturus erat vivum; si vivere contra,
Enectum pugno, suffocatumque daturus.
At Deus, obliqua perspecta mente maligni
Consultoris, ait: Vitæ mortisque potestas
Te penes arbitriumque esto; nam utrumque licebit,
Quod tegis, aut vivum, aut functum proferre lacerna.

Affabulatio.

Ne tentato tuum Dominumque, Deumque; latere
Neve illum quicquam, falli vel posse, putato.

XIX.
Piscatores.

PIscatum egressi, & vastas super æquoris undas
Præcipiti velis vecti remisque phaselo
Quum Piscatores essent, onerataque plumbo
Retia squamigeris huc illuc piscibus omne
Per pelagus frustra jecissent, & mare vastum
Emensi calamis, escasque sequentibus hamis
Omne pererrassent, & nodosis labyrinthis,
Ast nihil optatæ prædæ, multumque laboris
Cepissent; mæsti reditum vacuique parabant.
Quum subito insanis spumescere fluctibus æquor,
Et late ancipiti nixu freta pulsa sonare.
Grande maris monstrum fugiens tum Thynnus iniqua
Per freta, vesanoque ruens vada salsa natatu,
Subjectum bifidæ feriens mare verbere caudæ,
Præcipitare fugam, rapidoque per omnia ferri
Impete, lethiferumque hostis vitare furorem.
Dumque procellosis pavidus modo mergitur undis,
Et modo pendentes nixu libratur in auras;
In saltum erigitur male cautus, & insilit ipsam
In Piscatorum cymbam. Læti ilicet olli
Accurrunt, prædaque hilares potiuntur amata,
Et terras alacres repetunt, portusque relictos,
Captivumque trahunt sinuosa in littora Thynnum.

Affabulatio.

Sæpe Deus, summique Dei fortuna ministra,
Quæ labor arsque negant, prabet mortalibus ultro.

XX.
Deceptor.

IMplicitus morbo & pæne expugnatus acuto
Orabat pauper superos, concedere morti
Ne sinerent se se, crudeli aut tabe resolvi.
Si facerent, Orcoque minus paterentur avaro
Mactari; centum taurorum pinguia ad aras
Corpora cæsurum, redimendæ haud vile salutis
Spondebat pretium, & venerans de more vovebat.
Assensere dei, ditaque a peste levarunt,
Tentantes votisne fides audacibus esset
Certa futura, dolis an decipienda malignis.
Ergo ubi concessum præceps evincere fatum,
E morboque datum est evadere (nempe carebat
Quandoquidem veris) quos finxerat ille subacta
E simila, centum tauros adolevit ad aras.
Cœlicolæ risere nefas, scelerisque pudendi
Ulturi auctorem, recubans ubi membra sopore
Laxarat placido, totosque resolverat artus,
Assistunt capiti, & per somnum talia fantur:
Sic, neglecte, jaces? sic te juvat esse pusilli
Ingeniique animique, ut vivas indigus inter
Tot dites animas? quin expergiscere, & udum
In littus propera. Sunt Attica pondera mille
Drachmarum servata tibi, quæ littore in ipso
Invenies. Nosti ipse locum: properato, morasque
Rumpito; torpentes misere misera urget egestas.
Sic fati æthereas sedes, firmissima Olympi
Regna, domos divum repetunt, & culmina cœli.
Ille experrectus, somnique haud immemor, Euris
Ocyor exsurgit, stratumque relinquit inane,
Et monstrata petit lætus loca: dumque per omne
Littus, & oppositi maris oras quæritat aurum,
Piratæ occurrens capitur. Tunc denique pondo

Mille

Mille talentorum pro libertate daturum
Pollicito, testesque deos in sponsa vocanti
Nulla fides adhibetur; amat nec verba nefandus
Prædo; servitio gaudens sed solvit Acarnan,
Milleque drachmarum pretio divendidit, atque
Accepto altrorsum divertens navigat auro.

Affabulatio.

Votum redde Deo, verisque altaria donis
Rite adole: perit ille, putat qui fallere divos.

XXI.

Ranæ.

RAnarum sterili duo corpora lecta palude
Pascebantur; aquæ sed flumine solibus assis
Contracto, terraque udum sorbente liquorem,
Arescente lacu, solitosque negante recessus,
Sedibus antiquis alias statuere relictis
Vestigare domos, melioraque tecta subire.
Ergo abeunt, saltuque viam progressa profundum
In puteum tandem veniunt, quem margine ab alto
Cum despexissent late salientibus undis
Stagnantem: Quid, Rana inquit primæva minori,
Quominus umbrosas alacres saliamus in undas
Obstat, & inventis potiamur sedibus ambæ?
Quin descendamus, puteumque habitemus amænum?
Illa tamen circumspiciens: Verum, inquit, amica,
Si rapido aruerit puteus quoque sole, quid intus
Sperandum miseris? aut qua ascendamus egentes?

Affabulatio.

Omnia consulto, temere nihil aggrediaris,
Stultum est in fluxis rebus dixisse: Putaram.

XXII.

Senex & Mors.

Lignatum Senior nemora in ſylvoſa profectus
Glandiferæ quercus, vel amantis littora pinus,
Ilicis aut duræ, valida quæ ſciſſa ſecuri
Per ſylvam late rauco raſonante fragore
Diffiderat, vincliſque adnexa coegerat arctis;
Injuſto rediens ſub pondere fruſta gerebat
Debilibus ſuſpenſa humeris, multumque viai
Faſce ſub urgenti permenſus, frondea feſſis
Robora deponit ſcapulis, tædetque ſui ſe,
Et Mortem vocat. Actutum venit illa, caducas
Calva comas, exeſa oculos, nareſque, genaſque,
Oraque, & exſtantes labra exertantia dentes,
Nec minus exertas nudantia pectora coſtas,
Et pro ventre locum ventris, vacuamque cavernam;
Brachiaque ex humeris nullo pendentia nexu,
Et nulla ſpinæ compage hærentia crura;
Oſſea ſed tantum ſpecies, nihil undique præter
Oſſa gerens, & diram qua metit omnia falcem:
Inſultatque viro inſtans, & metuenda minatur,
Ingentes rictus pro lingua atque ore reſolvens.
Ecce adſum, quicumque vocas; effare, quid optas?
Eja age ſis, me me, dic, qua ratione vocaſti?
Certe ego te, rerum fortiſſima, viribus iſtis
Sublatum hoc ut onus noſtris imponere, dixit,
Dignarere humeris, atque hoc me faſce gravares.

Affabulatio.

Omnes natura cupimus ſervarier; unde
Cunctarum fertur mors atrociſſima rerum.

XXIII.
Anus & Medicus.

QUum marceſcentes Anus importuna doleret
Forte oculos, Medicum pacta mercede peritum
Conduxit, pretium ſub conditione datura,
Si ſanaretur; minime curata, laboris
Atque operis nullum pretium penſura Melampo.
Ergo ille in curam venit male habentis, & omni
Luce putrem vigil ad vetulam accedebat, opemque
Pæoniam medicis adhibebat ſedulus herbis.
Attamen admotis ad lumina egentia lucis
Rore Machaonia ſuccis ſtillantibus arte,
Cum vetulam propter medicamina poſſe videret
Sordida nequaquam deprendere furta; picato
Vaſe aliquo, aut alio quovis de ſorte bonorum
Pignore, quoque die clam diſcedebat abacto.
Aſt Anus imminui, manibuſque elabier omnem
Inque dies abigi rem conſpiciebat, obortis
Lumina perque genas lacrymis; fluxamque dolebat
Uſque adeo, ut ſanæ ſupereſſet nulla ſupellex.
Quare quum Medicus pactum depoſceret aurum,
Utpote qui Vetulæ curaſſet lumina avaræ,
Quæ ſanata probe jam clara luce videret,
Et teſtes in rem produceret: ilicet illa
Quin potius video modo nil; nam lumine caſſa,
Inquit, multa meis cernebam ditia tectis,
Quæ bona nunc penitus, quum tu ſcelerate videre
Affirmas, minime video niſi rapta periſſe.

Affabulatio.

Proditur ipſe ſuis ignarus & improbus actis,
Nec ſinit occultum quicquam Deus uſque latere.

XXIV.

Agricola & Filii ipsius.

AGricola e vita jam discessurus adultos
Optabat natos studio insudare peculj,
Nosseque campestres operas, saturique beatas
Ruris opes, & quæ (vigili nisi) fertilis agri
Munera non cedunt; sperans, si forte daretur
Expertis rigidi novisse laboris honores,
Sollicitos, gnavos, vigiles, ditesque futuros.
Ergo his alloquitur natos pater: Ecce peregi
Quem fortuna dedit cursum; vocat invida Parca,
Nec jusso cessare licet. Phlegethonta videbo
Intrepidus, tenebrasque Erebi non tristis adibo,
Conscius ipse mihi, nec culpa pallidus ulla.
Vos si cura rei augendæ, si vera ulla cupido
Nostrorum stimulat juvenes sanosque bonorum;
Quærite. Visceribus defossa atque obruta terræ
Omnia condidimus, nec vinea nostra negabit
Depositum, modo vos penitus tellure cavata
Effodiatis opes, & vestigetis opertas.
Vix hæc pallenti media jam in morte profatus
Ore senex, animam pariter vocemque reliquit,
Manibus, atque atræ Rhadamanti traditus urnæ.
Olli nempe rati terra latitare sub ima
Thesaurum, multo fodiunt vineta ligone,
Et marris terram durisque bidentibus omnem
Exercent, curvis nec cessant scindere aratris,
Imaque viniferæ penetrare in viscera glebæ.
Thesaurique nihil quamquam invenere cupiti,
Uberiora tamen fructus sine fine dedere
Multiplices vineta, suis bene fossa colonis.

Affabulatio.

Nullum tempus iners abeat tibi; namque laboris
Præmia divitiæ, virtus, sapientia, cœlum.

XXV.

Herus & Canes.

TEmpore, ſubjectis quo terris frigidus imber
Actus ab occaſu pluvialibus ingruit hædis,
Et circumfuſum turbat mare ſævus Orion,
Hybernis caſſum viſu caput abditus undis,
Horrificiſque furens Aquilonibus aera miſcet
Juppiter, intorquens hyemem, gelidiſque pruinis
Et Scythicis terram nivibus pontumque coercet;
Rure ſuburbano ſub tempeſtate maligna
Detentus quidam pavidas jugulare bidentes
Principio, & pictis toſtas apponere menſis
Et ſedare famem: ſed enim fervente procella
Nimbiſona, & tumidis incrudeſcente ſub Auſtris,
Cæditur, & menſas onerat Tegeatis alumna.
At Jove nondum etiam placato, ſed mage nimbos
Præcipitante, gelu mixto, Boreaque nivali,
Ruricolas mactare boves, & in apta ſecare
Fruſta juvat, ventremque avidum ſatiare bovinæ.
Obſtupuere Canes, nec ſicco lumine funus
Conſpexere boum ſata læta labore colentum,
Attonitique inter ſe ſe ſic ore viciſſim:
Quid nos ſperamus miſeri? quin cedimus (ajunt)
Agricolis an num minus abſtinuiſſe juvencis
Vidimus, ut nobis velit abſtinuiſſe, putemus?

Affabulatio.

Candidius nihil eſt fidoque proboque ſodali:
Qui tamen ipſe ſuis non abſtinet, euge caveto.

XXVI.
Mulier & Gallina.

GAllinam fraudata viro Muliercula alebat,
Singula quoque die parientem gnaviter ova.
Ut tamen humanos animos plus ſemper habendi
Sollicitat veſana fames; ſecum illa, futurum
Ut pareret gemina ova die, male ſana putavit,
Præberet pultis ſi plus, aut farris edendi
Sedula chortis avi: mora nulla, Sicana miniſtrat
Larga farra manu, & confuſo lacte farinam.
Altilis ergo cibo Gallina ante ora parato,
Et ſolito dapibus multo uberioribus eſu
Segnior, & pingui ventrem diſtenta ſagina,
Haud ullum dominæ potuit parere amplius ovum.

Affabulatio.

Ingenioſa parum cupidis natura, ſed in rem
Qua ſe præcipitat, fit quæſtum ut perdat avarus.

XXVII.
Morſus a Cane.

A Cane morſus, opem medicam qui ferrent, edaci
Sollicitus cura, tota vagus urbe petebat.
Quum quidam occurrens, poſtquam quid poſceret hauſit:
Heus bone vir, medicæ nihil hic opis, inquit, egemus;
Tu modo, ſanari ſi vis, mea juſſa faceſſas.
Nam ſi triticeo ſiccaris pane cruorem
Ulneris accepti, dederiſque benignus edendum
Illi ipſi, qui te crudeli dente momordit
Vexavitque, cani; oblata curaveris offa.
Diſpeream niſi me (ridens reſpondit) ab omni
Latratrice canum, quot quot ſunt urbe, cohorte
Mor-

Morderi deceat, tua si isthæc jussa capessam.

Affabulatio.

Improbus haud solum damnis benefacta rependit;
Sed mage, de se se meritos bene, acerbius urget.

XXVIII.
Adolescentuli, & Coquus.

Assedere coquo nuper puer unus & alter,
Pingue ministerium, & fumosæ nigra culinæ
Instrumenta, rotas, gremiumque, orbesque molarum,
Et rapido Cererem tritam fundentia gyro
Concita saxa, gravi silicum sub pondere pressam,
Aptaque purgandis pendentia cribra farinis,
Picta foraminibus, tabulasque ex ordine læves
Spectantes, tepidosque focos, avidosque caminos,
Ardentesque pyras, consternendisque batilla
Ignibus, & palas, follesque, bimembriaque æra
Forcipis, & sculptam regalia stemmata massam
Fornacis fronte in media; dorsoque tenentes
Hinc atque inde pyram succensaque lumina lamnas,
Et suspensa igni lymphæ ferventis ahena,
Admotasque aliter prunis ardentibus ollas,
Tectas fictilibus testis, curvasque creagras,
Et conchas, cyathosque, scyphosque, cavosque lebetes,
Et tripodes subter positos, & longa veruta,
Et sartaginibus frixoria mixta, nigroque
Pinguis ab injectu fuliginis ære patellas;
Et crates succo pingues sudantis ofellæ,
Et sonitum procul argutum mortaria ab ictu
Pistilli vasto reddentia, pulso orichalco;

Et genus id permulta, carent quæ vocibus aptis.
Usque adeo superat linguas lascivia turpis
Implacata gulæ, fœdique superbia luxus.
Ergo oculo postquam collustravere sequaci
Singula, & artificem grandis videre culinæ
Munera curantem mensæ, intentumque labori;
Alter in alterius demisit carnis ovillæ
Frusta sinum, dextra quæ clam surrepta rapaci
Ceperat, & comiti servanda tetenderat ægro.
Conversoque Coquo, carnemque per omnia multa
Lustranti cura; qui ceperat, omnia jurat
Numina, se nusquam vel micam carnis habere.
Qui timido servata sinu condebat, Olympum
Et superos omnes prece dira in vota ciebat,
Si quid cepisset carnis; cum mente culinæ
Arbiter illorum perspecta: Me tamen, inquit,
Ut lateatis, cum, perjuro quem ore vocastis,
Ne sperate Deum, novit qui cuncta, latere.

Affabulatio.

Mortales lateant animos perjuria quanquam,
Nulla latere Deum poterunt, vel inulta manere.

XXIX.
Inimici.

VAsta procellosi juvenes duo marmora ponti
Una sulcabant navi, paribusque vicissim
Ardentes inter se odiis, diversa locorum
Ambitione pari, neque iniqua sorte tenebant.
Alter enim celsa puppi gaudebat, at alter
Æratæ incumbens proræ, turgentia rostro

Cer-

Cernere velivolam freta lætabatur adunco
Scindentem navim, & celeri vada ſalſa ſecantem
Turbine, rumpentemque viam per inhoſpita ponti.
Cum ſubito Æoliis miſceri marmora alumnis,
Turbarique fretum, atque obduci nubibus aer
Cœpit, & effuſis cælum ruere imbribus atrum.
Inſanum mugire polus, crebriſque micare
Ignibus, & ventis ſtridentibus æquora tolli,
Sideribuſque ipſis æquari, & vertier imo
Ad ſummum pelagus, tumidaque horrere procella,
Præſentemque viris mortem intentare ſub undis.
Nauticus aſtra ferit clamor, ſtridorque rudentum:
Nunc ratis in ſummo pendet fluctu, modo ponti
Ima petit, fluctuſque inter diſtinguit arenam.
Nunc ferit in latus inſiliens mons turbidæ aquai,
A ſummoque ruens prorumpit vertice pontus,
Et totam illuvie & ſpumis candentibus implet.
Extrema trepidant nautæ formidine, mortem
Ante oculos certam ſpectantes; vincitur imbre
Jam ratis, & laxis compagibus icta fatiſcit,
Morſque viris funeſta ſubit. Tunc puppe ſedebat
Qui celſa juvenis, dubio ſic ore magiſtrum
Alloquitur navis: Miſeris ecce unda dehiſcit,
Vincit hyems, nullamque licet ſperare ſalutem.
Fare tamen, pars utra ratis prior acta ſub undas
Ibit, & immenſum rupto bibet ore profundum?
Ille refert proram: lætas ad ſidera palmas
Tollit, & ingentes ſuperis agit undique grates
Tunc juvenis: Nullaque, inquit, jam morte gravabor
Amplius, hic oculis pereuntem ſi datur hoſtem
Cernere, & infeſto pontum prius ore bibentem.

Affabulatio.

Interdum nihili pendunt ſua damna virorum
Multi, dum noxa videant affligier hoſtes.

XXX.
Feles, & Mures.

FOrte redundarent opicis cum Muribus ædes,
Et prædatori res esset cognita Feli;
Actutum occulto se se pede contulit illuc,
Et vagus infesto saliens in singula saltu
Corpora, continuo multa intercepta vorabat.
Ast ubi consumi se se, penitusque viderent
Pessum ire attoniti Mures, de rebus agendis
Consulturi, alto qua arcetur stiria muro,
Suggrundam scandunt celeres, nigroque coacto
Concilio: Quæ nos tenuit dementia? dixit
Felifuga de gente aliquis; quæ dira cupido?
Quæ exegit rabies? ut tuta sede relicta,
Nos Feli heu nuda passim objiceremus arena?
Scilicet ignari quibus impius unguibus armet
Ille pedes, sævo vel quo fera guttura dente,
Quo miseros astu per parva foramina quærat
Intrantes, vel quo speculatu callidus antra
Scrutetur, cruciet miseros quo funere captos.
Credimus, insidias neque enim sensistis iniquas;
Non luctus, & quæ sævissima funera nobis
Intulit, heu! postquam obrepsit; vel cognita vobis
Si sunt o socii, mecumque pericula adistis,
Et vestræ vos cura tenet non ulla salutis;
Si sunt conjugia, & nati, carique nepotes,
Ut debent, cordi, neque & hæc contemnitis ultro:
Ne quæso, ne vos certæ committite morti,
Nec de suggrunda descendite, ni juvat omnes
Funditus hostili mactatos ungue perire.
Hæc vos a diro sedes tutabitur hoste;
Hic spatia, & caveæ, & tecti loci cursibus apta,
Et dives victus quærendi copia; quodque
Judice me cunctis fuerit præstantius unum,

Huc

Huc quod, ni fallor, nequit illa ascendere pestis,
Qua sine vivemus tranquilla pace quieti.
Hæc fatus reliquis assedit Muribus, omni
Laudatus populo nigro, obscœnoque senatu.
Improbus at postquam Feles per inania tecti
Securos nullo Mures descendere sensit
Velle modo, potius sed se intra tuta tenere
Tectorum loca, nec se jam committere terræ;
Per fraudem capere incautos, astuque ciere
Decrevit frustra. Foribus fuit obditus olim
Pessulus; hunc ergo quum conscendisset, iniquo
Ceu laqueo vitam misere finisset, ab illo
Defunctum simulans suspenditur: Attamen unus
Pendentem intuitus de Muribus: Heus bone, dixit,
Non ego te, fias etiam si saccus, adibo.

Affabulatio.

Prudentem falli figmentis ejus iniquum est,
Quem semel expertus fuerit, pravumque, malumque.

XXXI.

Vulpes, & Simius.

SImius humani simulator callidus oris
Concilio quondam in celebri cum forte ferarum
Saltasset, multumque esset laudatus ab omni
Brutorum cœtu; rex est dementibus unus
Impositus pecorum populis, gregibusque vagantum.
Invidit Vulpes, & quas in cassibus escas
Viderat, has regi inviso insidiata, faceto
Obtulit alloquio. Rex, inquit, amice verendis
Sancitum rite cautumque est legibus, ut quem
The-

Thesaurum tellure ima quis forte refossum
Indice Mercurio dominove invenerit, orci
Intactum regi servet; nempe ipsa, beatas
Cui nunquam leges abrumpere contigit, æquum
Ut fuit, intactum reperi quem forte reducta
Thesaurum sub valle, tibi, dulcissime regum,
Servavi. Tu, quem tribuunt tibi jura, capesse;
Me quoniam tetigisse nefas. Sic fata, tyrannum
Duxit in oppositam vallem, digitoque patentes
Escarum ostendit cumulos, subditque: Repertus
Hic mihi thesaurus fuerit licet, attamen uti
Invento me jura vetant, quæ regibus illum
Ex plebiscito, bellatorisque senatus
Consulto latis tribuerunt legibus. Ergo
Imperii qui frena tenes, accurre; repostas
Accipe opes, avibusque bonis fruere: ecce paratus
Est tibi thesauri vetitus nisi regibus usus.
His animum regis Vulpes hortatibus acrem
Implet, & in casses occultaque retia mittit.
Ille etenim prædæ cupidus, dum carpere amatas
Inconsultus opes properat, temere usque profectus
Corripitur laqueis, atque irretitur amaris,
Et nodo implicitus miser Herculis acribus urget
Opprobriis vulpem, ut quæ decepisset, & omnes
Cœlicolas, sinerent qui se se casse teneri,
Accusabat. Ovans cum Vulpes pectore ab alto
Mordaces fudit late scelerata cachinnos.
Simie, tum paucis, o Simie, dixit, avaræ
Cum sic desipias mentis, ten' bruta superbo
Imperio premere, & populos frenare ferarum?

Affabulatio.

Turpis avaritiæ stimulos fuge; tum cave ne rem
Inconsultus agas, ne te infortunia lædant.

XXXII.
Thynnus, & Delphini.

PRæcipiti curvum freta per ſpumoſà natatu
Delphinum pavidus fugeret cum Thynnus, & eſſet
Vincenduſque fuga miſer, & capiendus iniqua;
Veſanum bifidæ pelagus ſub verbere caudæ
Præcipitabat agens, validoque per æquora nixu
Salſa ruens, tumidi ſpumas maris ore ſecabat,
Ambiguus cupido num jam comprenſus ab hoſte
Præda foret ventri implendo prædonis acerbi,
An rabidos dentes, tangentiaque ora ſequentis,
Ingluviemque feri, & morſus liquiſſet inanes.
At quanquam addubitat, ſed ſpe volat uſque ſalutis,
Qui ſequitur, prædæ; perque humida currit uterque
Æquora: navigerum reſonat mare; ſpumea, fluctus
Qua curſum frangunt, via panditur; impete donec
Sub cæco rapti, pelagi regione relicta,
Succedunt terris moribundi; præpete curſu
Fraudati ponto, atque uda extenduntur arena,
Jactantes trepidos artus. Tunc Thynnus egenus
Vitalis limphæ, & ripa crudeliter alta
Delphinum extenſum cernens ſe propter eadem,
Ut potuit, jam morte graves ad ſidera vultus
Erexit: Superique, inquit, non amplius ulla
Mors ingrata mihi, licuit cui cernere, mortis
Qui mihi cauſa fuit, pariter concedere fato.

Affabulatio.

Damna ferunt multi levius, cum cauſa malorum
Qui fuerint, damnis cernunt affligier iſdem.

XXXIII.
Medicus, & Ægrotans.

QUem Medicus curabat, ubi mortem Æger obiſſet
Conſumtus febri aſſidua, pompaque gementum
Efferretur humo condendus; pellere fruſtra
Qui morbum medica prius attentaverat arte,
His, qui geſtabant humeris exſangue cadaver:
Si vino abſtinuiſſet, ait, multumque fuiſſet
Purgando vivens ventri clyſteribus uſus,
Duceret æthereas auras, lucemque videret.
Ad quem reſpondens, quidam de adſtantibus: Heus, heus,
O bone, quid fruſtra hæc? quæ ſi fortaſſe juvabant,
Uti cum poterat, non nunc monuiſſe decebat.

Affabulatio.

Eſt ſuccurrendum miſeris in tempore, cum res
Poſtulat; accurrit qui præter tempus, aberrat.

XXXIV.
Auceps, & Vipera.

EXierat volucres captatum callidus Auceps
Armatus levibus calamis viſcoque tenaci,
Et quos hunc caveis vafer aſſervabat in uſum,
Paſſeribus cantu prædam allectantibus. Ergo
Concinnata cibo poſtquam fuit area fuſo,
Et captivorum fallaces carmine multo
Aucupium in laqueos invitavere volucres;
Ecce avidus cella ſedit ſuper arbore turdus,
Quem ſimul atque Auceps converſo lumine vidit,
Ad

Ad læves connexa amites cava retia surgens
Arripit: at furtim dum comprensurus adiret,
Defixosque in avem vultus oculosque teneret;
Excitum somno Colubrum pede calcat inermi.
Ille tumet, calcemque viri rabido ore momordit,
Vipereos figens extremo in corpore dentes.
Ingemit hic, tunditque genas & pectora palmis,
Et vitam exhalans piceo serpente veneno:
Me miserum, exclamat, miserum me o terque quaterque!
Insidias aliis qui dum paro, mulctor acerba
Morte prior, patiorque, aliis quæ damna parabam.

Affabulatio.

Parce per insidias moliri damna vel hosti,
Ne patiare, aliis quod vis, Jove vindice damnum.

XXXV.

Fiber.

QUadrupedum de gente Fiber colit algida Ponti
Flumina, & extremis fluviorum visitur oris,
Improba & horrendi morsus fera; namq; prehensa
Parte hominis, ferro cædit cum littora juxta
Arboreos ramos, morsus non ante resolvit,
Quam prædura crepent rabidis sub dentibus ossa.
Hujus membra ferunt doctis Hyperionis artem
Esse usu, & morbos sanare pudenda malignos.
Quo fit, odorisequis ut si fortasse molossis
Vincula venandi studio quis demsit, & oras
Ingentis lustravit Halys, Fibrumque cavernis
Excivit, validisque canum latratibus ursit;
In se convertat rabiem fera, curque petatur

Gnara, suos in se miseranda urgente periclo
Mordicus intendat dentes, genitaliaque hosti
Objiciat cædens; & vulnere adepta salutem,
Castorea humanis ultro male olentia morbis
Lætetur, quamvis castrata, dedisse levandis.

Affabulatio.

Discito fortunas præ vita pendere parvi,
Et dulcem pallenti auro præferre salutem.

XXXVI.

Canis, & Coquus.

PInguia cum mensæ curaret dona culinæ
Arbiter, atque gulæ solers sudaret herili;
Nare sagax furtim Canis introgressus ab ignis
Detractum verubus, graviterque calente favilla
Cor rapuit, fugitque citus; quem sævus euntem,
Et prædam obscæno postquam Coquus ore ferentem
Conspexit, clamore sequens: Heus improbe, dixit,
Heus scelerate, ego te... Tu sis ubicumque, caveto;
Nam mihi quod rapuisse putas cor, nempe dedisti.

Affabulatio.

Multa nocent, quæ si propius spectentur, inertes
Damna docent rebus curam præstare gerendis.

XXXVII.

Lupus, & Canis.

PRo stabulo obscænus nuper Canis, ardua cœli
Culmina dum nigris premeret vaga Cynthia bigis,
Mu-

Munera carpebat ſomni; cum Martius illum
Aggreditur, rabidoque Lupus ſub dente fatigat.
Ille tremit, precibuſque iras victoris & atra
Vulnera declinat ſupplex, reſupinaque ſolvit
Ora jacens, pedibuſque pedes amplectitur hoſtis.
 Viciſti: tua ſum fateor, Lupe, præda, nec atrum
Mortis iter, Stygiaſque undas, & dura recuſo
Fata ſubire, tuo modo non ingrata palato
Eſca futura neci occumbam. Verum aſpice, quali
Me ſubigis macie deformem: pellis & oſſa
Sum totus macrore miſer; tenuine juvabit,
Exanguique famem lentam depellere morſu?
Quin paulum concede moræ: ſocialia ſacra
Sunt facienda domi, & convivia læta trahenda;
Uxorem nam ducit herus, dapibuſque ſuperbis
Accipiet. Tunc multa mihi demergere in alvum
Opſonia, & pingui jejunia ſolvere carne
Pro nutu, dapiduſque famem ſedare licebit.
Queis ut ero laute functus, tibi pinguior, atque
Suavior occurram, nec tunc periiſſe pigebit,
Quum tibi gratus ero: nam ſi mihi vera fatenti
Credideris, non tam miſeret me mortis acerbæ,
Quam piget ingratum tibi me fore cæde peremtum.
Dixit, & ut reſupinus humi complexa tenebat
Genua Lupi, tacta firmavit fœdera dextra.
Annuit, & prædæ parcens veſtigia vertit
In ſylvas & luſtra Lupus; ſecura domorum
Tecta Canis ſubiit formidine plenus & ira.
 Attamen haud multum rediens poſt temporis acer
Dente Lupus, cæca e nebula ſuper alta domorum
Tecta Canem vidit reſolutum membra ſopore.
Conſtitit, atque initi monefactum fœderis ante
Ad ſe ſe incaſſum clamoſa voce vocavit.
Cui Canis: Heus, inquit, Lupe, ſi me forte quietem
Pro ſtabulo rurſus carpentem inveneris, ignes
Connubii ne iterum, nec dulcem expecta hymenæum.

Affabulatio.

Prudentem turpe eſt bis ad unum offendere ſaxum.
Turpe, ſemel cautum, rurſum incurriſſe periclum.

XXXVIII.
Gallus, & Canis.

ITuri peregre Gallus Titanis alumnus,
Et Canis, Ortygiæ comitum non ultima divæ
Gloria amicitiæ percuſſo fœdere juncti,
Actutum, carpſere viam; ſed luce peracta
Cum juga purpureis Phœbus gemmata quadrigis
Demeret, Heſperiiſque ſilens nox ſurgeret undis,
Arbore conſcenſa metuenda leonibus Ales
Lumina jucundo dederat languentia ſomno,
Fidus ad ejuſdem radices arboris Umber
Unguibus in ſtramen primis tellure cavata,
Fecerat emeritis latebroſa cubilia membris.
Ergo ubi nox medio tranquilla pependit Olympo,
Mortaleſque feraſque quieta potentia ſomni
Solvit, & immotæ tenuere ſilentia plantæ;
Ecce vigil pro more ſuo lucemque diemque
Auroræ, multo licet ante, Tanagricus albæ
Nunciat excubitor, croceumque relinquere lectum
Tithoni jubet, & cantu ventura ſalutat
Lumina, & ignavos operum monet, & ſua quiſque
Expleat hortatur concinna ut munia voce.
Quem ſimul ac Vulpes ſomno experrecta canentem
Auribus arrectis hauſit, collectaque edendi
Ex longo miſeram rabies exegit inani
Spe prædæ, ſiccas invitans ſanguine fauces,

Accur-

Accurrit: trunco ſed cum conſpexit in alto
Securum, nec ſe ſperato poſſe cruore
Tingere crudeles fauces; vix ſuſtinet iras,
Impatiens vix diſſimulat, vix denique ſe ſe
Colligit, & ſtans inferius ficto ore profatur:
Salve, o prima novem Muſarum gloria; ſalve,
Maxima Phœbæi decoris pars; montibus ornos
Qui trahere, atque ipſas divino carmine ſylvas
Es potis, & rapidos fluviorum ſiſtere curſus.
Nam quis non dulci capiatur carmine? quis non
Divinum ſtupeat vatem, ſanuſque ſequatur?
Aut quis te modulis prior? aut quis carmine? Certe
Hac ego nocte tuas ut voces auribus hauſi,
Mæoniumque melos percepi ſenſibus imis;
Confiteor, tales collegi pectore flammas,
Ut potis ipſa mei, niſi te complecterer, eſſe
Non poſſem: tantum hoc concede, ut brachia collo
Circumdem, foveamque ſinu teneriſque lacertis.
Huc deſcende, tui faciet me copia ditem,
Teque mei nunquam, faxo, meminiſſe pigebit.
Dixit, & optato jejunia ſolvere morſu
Sperat, & ardentes immergere ſanguine fauces.
Ille refert: Hujus radicibus arboris hæret
Janitor imbelli reſolutus membra quiete.
Hunc tu, complecti ſi me vis, excute ſomno,
Atque fores reſerare jube; portiſque recluſis,
Nec moror amplexus, nec, ſi libet, oſcula ferre.
Hæc fatur damni impavidus; tum ter quatit alas,
Ter vocat ignavos vicina per arva colonos.
Credidit infelix Vulpes, & ut improba ventris
Exegit cæcam rabies, quibus excubet antris
Janitor, atque fores quas ſit reſerare neceſſe
Dum quærit, conſpecta Cani, nec vertere terga
Molirive fugam potuit, pedibuſve ſalutem
Quærere: proſiliens etenim leviſomnus amaro
Dente Canis, vincitque fuga, laceratque prehenſam.

Affabulatio.

Quem vitare nequis, tibi si insultaverit hostis,
Vince dolis, astuque magis committe potenti.



CYBDELOMASTIX.

I LIBER, I FELIX, DOMINUMQUE ULCISCERE LÆSUM.

DUlichias canat ille rates, canat arma virumque
Alter, & hic versos in nova monstra viros.
His socerum generumque, & pila minantia pilis,
Hic genus Æneadum, Punicaque arma canat.
Sit labor illius Colchorum gloria serpens,
Durave Abydeni Sestiadosque mala.
Hic satyras, elegos ille, & canat ille salutes,
Tartareos raptus hic canat, ille Jovis.
Ille gigantæos numero graviore tumultus,
Hic canat Uraniam, cælicolumque domos.
Cybdelum mea Musa petat, sit & omnis in unum
Vis mea: quid possit, sentiat ille, dolor.
Sentiat iratum calamum, mea bella; furoris
Sentiat irata frena repulsa manu.
Unus inassuetum Phœbum movet, unus inertes
Carminis heu nostri non sinit esse deas.
Ille meos inter primus delectus amicos, Iratum Cauda.
Non sinit heu miserum! nec mea ferre mala.
Quique fuit nostris laturus flumina flammis,
Ignibus ardentes suggerit ille faces.
Nec sinit absentes mala nostra heu plangere, si sunt
Quos miseri moveant tristia fata viri.
Ille malis gaudet nostris, nostraque superbit,
Qua sæpe heu nimium est ille levatus, ope.
Si quid forte mihi gratum est, hoc displicet illi;
Quæque putat nobis non placitura, placent.
Sive tacenda ipsi quoties commisimus, omni
Ad populum fertur fabula nostra foro.
Sunt etiam quæ multa modo, ut non nota, tacebo,
Quæ tamen heu nimium sunt bene nota mihi;

Multaque

Multaque, quæ tantum miserum me scire necesse est,
Et queis scis nostras te meruisse preces.
Ergo prius Zephyro neque erit contrarius Eurus,
Nec gelidus tumidis ignibus imber erit.
Ante dabit Phœbus, quando est altissimus, umbras
Majores; nullas nox prius atra dabit.
Arcas. Calisto. Ante Lycaoniam prolem cum matre profundo
Juno dabit tingi, nox erit ante dies.
Iris. Desinet adverso potius Thaumantias astro
Roscida vestiri versicolore toga.
Primum mobile. Desinet assidua rapidus vertigine cælos
Volvere, & ante suos deseret ille polos;
Quam tecum nobis posito stet gratia bello,
Quam quæ movisti, deserat arma manus;
Quam quæ rupisti, concordent fœdera, quamque
In te non tumido felle citatus eam.
Hæc tibi semper erit mecum pax, improbe, damas,
Quæque canes, agnos quæ tenet, atque lupos.
Quamque colunt timidi cervi, Pœnique leones,
Scylla. Quamque aquilæ cycnis, quam fera Scylla patri.
Ordo. Prima quidem versu peragentur prælia mœsto,
Hic pes ad lacrymas funeraque aptus erit.
Ovidius. Utque poeta suum Pelignus devovet Ibin;
Sic ego te miserum, perfide, devoveo.
Exemplum dedit ille mihi: non vulnera prima
Lycambes Archilochi socer. Archilochi, soceri sanguine mixta, dabo.
Si perges, venient sua tempora libera iambo.
Ille ille est, soleant quo pede bella geri.
Nunc cæcis volvam historiis mea carmina, ut inde
Sed quæ te vero nomine, sæve, canant.
Non possem, licet ipse velim, te nomine vero
Non canere: & quis sis, ira loquetur atrox.
Quis sis, ira canet; sed te meruisse memento,
Et dices justas in tua fata preces.
Herostratus. Semper eris notus, sed sic qui nomen in igne
Quærebat, nunquam nomen habere volet.

Non

Non ego Thespiadesve deas, Phœbumve ciebo: Invocatio.
Ingenium Phœbus mite habet, atque deæ.
Sint procul hinc mites, procul hinc: modo sæva Megæra Megæra.
Adsit, & anguiferas verset in ora comas.
Dux Bellona furens adsit, luctusque, dolorque, Bellona.
Et quæ non summo cederet ira Jovi.
Tartareique dei, si quos amnesque, lacusque,
Sylvæque, aut magni regia Ditis habet.
Tuque palus superum terror, Phlegethonque superbe Styx. Phlegeton.
Ignibus, & triplici janitor ore ferox. Cerberus.
Et qui perpetuas fatali pollice leges
Manibus imponis, sceptraque nigra regis.
Quique datis meritis pœnas, qui præmia dignis;
Dum precor, has firmas esse jubete preces.
Dum canimus diro capiti mala verba, favete:
Est quovis dignus perfidus ille malo.
Annuite, & nostris adjungite pondera verbis,
Nullaque sint precibus vota caduca meis.
Eveniet: lævum male nam sonuere cavernæ,
Nec gemitum frustra terra adaperta dedit.
Atque intorta comas Alecto mille colubris Alecto.
Insonat, & totidem bella cruenta movet.
Tisiphone pallam madefactam sanguine sumit, Tisiphone.
Quæque Athamanteas vasa habuere faces. Faces Athamantis.
Noctigenæ properate deæ; stat perfidus ille,
Ad vestras aras victima certa mori.
Et tu quid cessas pullas pro tempore vestes
Sumere? Nonne vides, hostia qualis eris?
Accipe ferales vittas, teque, improbe, cultris
Subde meis: fumat funeris ara tui.
Terra neget fructus, undas tibi deneget æquor, Deprecatio.
Atque fames dapibus crescat, & imbre sitis.
Te Phœbus fugiat, fugiant te sidera, nec sit
Noxve die levior, nec tibi nocte dies.
Quamque premis pedibus, tellus mille assonet hydris;
Nulla sit ut misero vita quieta tibi.

Quasque petes calido pulmoni, Juppiter auras
  Aut neget, aut tabo misceat ante datas.
Hæreat infixa adverso mala lingua palato,
  Officiumque negent singula membra tibi.
Nec tibi pes gressus, nec dent tibi lumina visum,
  Nec ferat ista cibum pallida ad ora manus.
Omnibus invisus pereas, pauperque, senexque;
  Perpetuasque hyemes sub Jove nudus agas.
Denique lares nullos superi tibi, nulla trementem
  Flamma levet, gelido deneget ignis opem.
Exul ames quod mille petant; potiantur amato
  Illi, te semper sævus adurat amor.
Quamque putes castam, conjux mille impia peccet
  Illa procis, natos alteriusque feras.
Quidquid amas, lacerum videas ante ora perire,
  Et quam non possis tradere, clamet opem.
Adversisque tuis juvenesque, virique, senesque
  Lætentur, quique his nobiliora tenet.
Plurima cum tuleris, nova crescant undique damna,
  Sitque tuis nunquam meta futura malis.
Sit miser Armeniis discerptus tigribus, & sis
  Præda Crotoniacis dilaceranda lupis.
Quumque habeas caussas, mortem tibi deneget illa,
Parca. Quæ net fatali stamina pulla manu.
Utque mihi meritas persolvas, improbe, pœnas,
  Sis meus, & veniam supplice voce roga.
Tunc ego quæ misero, quæ non tormenta parabo!
  Inque tuas pœnas quam bene doctus ero!
Immemor & moris nostri, solitique decoris,
  Quas mea dextra dabit in tua fata cruces!
In te nobilitas scelus est: pietate carebit,
  Qui non crudelis, non ferus esse volet.
Sontem animam expellam, tractam per vulnera mille,
  Ut miser infernos experiare modos.
Tityus. Tunc Tityi vultur crescentia viscera linquet,
  Quæque voret, volucri tu nova membra dabis.
Ad-

Adventu Ixion lætabitur hoſpitis, & te Ixion.
Verſabunt celeres in nova fruſta rotæ.
Te lymphæ fugient, & te præſtantia poma Tantalus.
Eludent: cupies, flumine merſus, aquas.
Te ſuper aſpicies jam jam labentia ſaxa: Syſiphus.
Poſthac cui tradas, Syſiphe, pondus erit.
Te veniente ſinent fallentes Belides undas Belides
Haurire, & miſeris cauſſa quietis eris.
Caucaſea veniet liber de rupe Prometheus, Prometheus.
Quæ tulit ille diu, tu patiere mala.
Tu Theſei pigraſque moras, & lenta levabis Theſeus.
Otia, perpetuos experiere locos.
Interea tot damna feras, quot pertulit illa, Hecuba.
Quæ tandem verſa eſt in nova monſtra canis;
Quotque Syracuſia depulſus ab urbe tyrannus, Dionyſius.
Qui vix fertur inops arte levaſſe famem;
Et quot cui cæco miſerum via publica victum Beliſarius.
Tradidit, invictæ præmia ſumma manus:
Sic miſer occumbas, ut qui ſpumantia Nili
Oſtia devicit, victor ut hujus ovet.
Utque Mithridates, qui dum mala nomina victi Mithridates.
Non bene fert, telis incubat ipſe ſuis;
Aut ceu qui fractus bello ſocia arma rogavit, Pompejus.
Invenitque necem, dum male quærit opem;
Aut ut qui jacuit medio ſpectante ſenatu, Julius Cæſar.
Et dixit: Patrem tu quoque, nate, petis?
Neve magis felix, quam cui ferraria victum Legitimus.
Ars dedit, & regem viderat ante patrem.
Nec plus quam Marius, qui dum miſer effugit hoſtes, Marius junior.
Incertam jugulo præbuit ipſe necem;
Quamque Jugurthino quem clarum Roma triumpho Marius ſenior.
Vidit, in obſcæna poſtmodo vidit aqua.
Nec magis aſpicias, quam qui fera facta ſororum
Senſit, & orbatus lumine damna tulit. Thamiras.
Qualis erat vates Helenæ damnator, & ille Steſichorus
Qui damnat cauſſam, regia Juno, tuam. Tyreſias.

Democritus. Qualis & ille fuit, qui lumine captus utroque
Speraт sic animo posse videre magis.
Daphnis. Quique gravis Baccho, petiit male sanus amicam,
Et rediens sensit parte carere sui.
Sesostris. Quique senex oculos cæcos exosus, & auras
Abrupit dextra mortuus ipse sua.
Polyphemus. Idque quod Ætnæus videas, qui lumine in uno
Vidit crudeles hospitis esse manus.
Phœnix. Aut quod Amyntorides, aut cujus sensit uterque
Morte hic, illa dolo facta nefanda parens.
Phineus, & ejus filii. Aut quod Phinidæ, qui lumina dextra parentis
Eruit, & pœnas protinus ipse dedit.
Homerus. Inque tuis oculis volucris fera spicula condat,
Hoc etiam Argolico contigit ante seni.
Polinestor. Et sic luminibus careas, ut Thracius aurum
Qui rapuit puero, quem dedit ante neci.
Antellus. Aut ceu sacrilegus Vestæ grassator, & ille
P. Cornelius. Qui sua cum vidit somnia, cæcus erat.
Nec desint vires in te tibi, sed tua ferro
Lucretia. Corda pete, ut petiit casta puella sibi.
Ut qui philtra bibit, pereas male sanus amore,
Et tua stent magno pocula mixta tibi.
M. Brutus. Aut sic occumbas, ut cui sua dextera lethum
Conscivit, Romæ quæ fuit ausa nefas.
Portia. Aut ut quæ flammas avido bibit ore, jacentem
Vidit ubi esse virum corpus inane suum.
C. Crassus. Et sic, ut famulo jugulum qui præbuit, & se
Non meminit fortes ante habuisse manus.
M. Antonius. Ut qui se gladio fodit, dum falsus amicam
Credidit infelix occubuisse suam.
Cleopatra, & ejus amicæ. Sive ut quæ vidit sua brachia morsa cerastis,
Quæque huic se comites morte dedere pari.
Cato Uticensis. Sic ferro valeas, ut qui sua nomina ab urbe
Duxit, Cæsareas dum timet usque manus.
P. Crassus Et dextra moriare tua; quod contigit illi,
Qui sibi, dum mortem vult fugere, ipse dedit.

Inque

Inque illos nunquam desit tibi barbarus usus,
In quos Licinius sponte vocavit eum. Licinius Crassus.
Conscius ipse tui fodias mala pectora ferro, Appius Claudius Regillianus.
Ut qui Virginei damna pudoris habet.
Aut ut quem vidit venis Jovis ara solutis, Cor. Merula Flamedialis.
Sanguine fœdantem pectus & ora suo.
Et te sic medium sævus transverberet ensis,
Ut quem non sensit Cassius ante virum. Dolabella.
Utque est expertus comites male Fimbria fidos, Fla. Fimbria.
Sic miser a turba destituare tua.
Sic laqueo pereas fauces constrictus, ut ille
Qui liquit tanto territus hoste forum.
Aut is, quem judex damnavit Manlius, & se Licinius Macer.
Inferias nato tradere posse negat.
Sive ut qui gladio cecidit, cum rapta tyranno Silanus.
Nupta fuit conjux, ut nova nupta cadas. L. Silanus. Octavia.
Aut quoque legatos, pacis qui signa ferebant, Cn. Norbanus.
Qui petiit ferro, quo neque ab hoste licet.
Utque sua cecidit stupri comperta puella Oppia, aut Opimia, Vestalis.
Usa manu, sceleris conscius ipse cadas.
Ut tulit infracta semper jejunia mente
Atticus, æternam tu patiare famem. Pomp. Atticus.
Et sic dispereas, ut quos Jubellius ense Taur. Jubellius.
Transfixit, moriens ne male captus agat.
Quique magis voluit crudeli occumbere dextra, Fannius Cæpio.
Quam liber forsan Cæsaris esse manu.
Muneraque accipias, quæ tradidit Arria Pæto, Arria.
Queis misera occubuit, queis miser occubuit. Pætus.
Et premat illa tuas pestis fœdissima fauces, Festus.
Quæ Festum Stygios fecit adire lacus.
Impellatque tuam sceleris mens conscia dextram, Cor. Gallus.
In facinus vatis traxit ut ante rei.
Infixus moriare pedes, ut Silius, utque Silius Italicus.
In quem direxit Dardana tela Paris. Achilles.
Ut Decii scelus usa suo fugit aspera ferro
Sophronia, hac nostras tu fuge morte preces. Sophronia.

Nec

Nec ſic effugies: ibis quocumque, ſequemur;
  Non erit in pœnas mors ſatis una tuas.
Sis licet elatus, licet hac ſis laude ſuperbus,
  Sis licet indignus, quem mea Muſa petat.
Te tamen ante alios dicam, tua facta canemus,
  Sidera dum cœlum, dum mare habebit aquas.
Ante canes parcent lepori, damiſque leones.
  Ante aquilam cycnus ducet, ovemque lupus;
Juppiter in partem cœli petet ante gigantes,
  Et Paridis Juno non erit ante memor;
Quam tibi conveniat mecum: quæ feceris hoſtis,
  Experiere: dabit, perfide, tela furor.

Alcides Hiſpanorum parens. Horti Heſperidum in Hiſpania. Elyſii campi in Hiſpania. Durius. Tagus.

Scilicet Hiſpani jactent ſe ſe Hercule natos,
  Et numerent hortis aurea poma ſuis.
Elyſioſque habeant campos, Duriumque, Tagumque,
  Sitque metalliferis terra ſuperba vadis:
Palladiaſque oſtentet opes, & Martis honores,
  Et quos Neptunus vulnere fecit equos:
Et Parios vincat lapides, Lilybæaque mella;
  Nobilis & Bacchi ſit, miniique ferax:

Lucanus. Seneca. Fabius. Silius.

Lucanumque habeat, Senecas, Fabiumque diſertos,
  Atque hac jactetur Silius ortus humo.

Ortus Cybelis. Venus.

Dum quoque non Cybeles huic ſtella affulſit Olympo
  Commoda, naſcenti nec fuit apta Venus.

Luna. Mercurius. Apollo.

Luna jubar tulit infeſtum, non præbuit ignes
  Utilior Maja natus, Apollo faces.

Juppiter. Juno. Bubo.

Juppiter occuluit vultus, matertera Juno
  Abfuit, in tecti culmine bubo fuit.

Saturni ſidus. Mars. Canicula in leone.

Te fera preſſerunt Saturni ſidera, Martis
  Infauſtuſque furor, te canis ore leo:
Ingemuere vadis nymphæ, mæſtumque ulurarunt
  Hiſpani montes, liquit Apollo diem.
Illa fuit nigris merito ſignanda lapillis,
  Quæ dedit hoc monſtrum, publica damna, dies.

Tiſiphone obſtetrix. Megæra nutrix Cybdelii.

Hunc fera naſcentem matris ſuſcepit ab alvo
  Tiſiphone, hunc fovit ſæva Megæra ſinu.

Hæc

Hæc tenerum primo per pallida colla volutum
  Lactavit, puero tradidit illa dolos.
Hæc docuit simulare fidem, prætexere fraudes,
  Hæc falsos risus, hæc bona verba dare.
Hic didicit fratres odiis turbare, sodales
  Fallere, conjunctos dissociare viros.
Quid multis? ipsumque scelus, doctamque magistram
  Vincit, & ingenio prævolat ille suo.
Dignus es, infelix, maneant quem fata Neronis, Nero.
  Quem maneant gladii, dignaque Othone manus. Otho.
Dextraque, quæ dulcem natum dominumque peremit;
  Qui ne hostem videat, maluit ante mori. Labeo Marsus.
Quæque fames ferrumque dies clausere Petrei, Petrejus.
  Quum miser Hesperia victus ab hoste fuit.
Et ne nostra ferant venti per inania vota,
  In domini fatum sit tua dextra ferox.
Implicet adversis laqueis fera guttura funis,
  Qui dedit in nati funera colla patris. Gordianus.
Sic miser in præceps volvaris, ut æthere ab alto Phaeton.
  Qui cecidit, patrios dum male rexit equos.
Aut veluti pater, ignarum quem filia passa est: Valerius.
  Aut ille, exitium cui sua forma fuit. Bellerophon.
Sisque tuæ vitæ tam prodigus, ut fuit ille Papyrius Canusiæ filius.
  Cui formosa fuit plena parente soror.
Utque hæres, qui sponte suos dedit ignibus artus; P. Catienus Philotimus.
  Patroni cineres miscuit usque suis.
Aut qui funestum pavido bibit ore venenum, M. Lollius.
  Cujus in exitium Cæsaris ira fuit.
Et doleas ut qui curavit morte dolorem, L. Proculejus.
  Pro medicaminibus tu quoque gypsa bibe.
Accensis moriare miser carbonibus, ut qui Catulus Luctatius.
  Dum mortem fugeret, se dedit ipse neci.
Aut is, cui dominæ pepererunt funera mortem; Mnester.
  Sit tibi de dominæ funere funus idem.
Sic fatis fungare tuis, ut Portius, atque Portius latro.
  Qui sua dum vidit carmina obisse, perit.

Oraque

Labienus. Oraque ſint nullis dapibus tibi pervia : finem
Meſſala Corvinus. Corvini hunc vitæ pene fuiſſe ferunt.
Longinus. Aut bibe quæ quondam Longinus pocula, vel quæ
Socrates. Jam ſenior tremulo perbibit ore reus.
Hadrianus Imp. Aut miſer occumbas, ut qui in ſua vulnera amicum
Impulit, & docuit, quo cadat ipſe, locum.
Florianus Imp. Aut is, qui Tacito ſucceſſit, & ut pugionem
Julianus Imp. Qui fixit lateri, quique venena bibit.
Diocletianus Imp. Ut quem Lugduni vicit Conſtantius, utque
Maxentius. Qui laqueo periit fratris amore ſui.
Aut ut Licinii pater, aut ſæviſſima matrum
Althea. Theſtias, & melior facta parente ſoror.
Sic quoque tu præceps ſalias, ut maximus ille
Empedocles. Trinacriæ vates, quem tenet Ætna foco.
Aut a præcipiti volvaris in æquora muro,
Cleombrotus. Ut qui Socraticum de nece legit opus.
Et tua nobilitas, ſic funera, ut ultimus ille
Sardanapalus. Everſor regni Sardanapalus avum.
Licambes, & Neobole. Utque Lycambiades rabioſi inventor iambi
Occidit, a noſtro carmine victus obi.
Aut ut Amilcarides, qui quam ſervaverat auro,
Hannibal. Permetuens hoſtes ebibit ore necem.
Inque rogos videas cara cum conjuge natos,
Haſdrubal. Ut quem victum armis, Æmiliane, tenes.
Calanus Indus. In flammas ſic ſponte ruas, ut barbarus ille,
Qui mortem Æmathio dixerat ante duci.
Cleomenes dux Lacedæmoniorum. Quoſque putes fidos, ſic experiaris amicos,
Ut fidum ſenſit te, Ptolomæe, Lacon.
Democrates Maſenius. Tu quoque ſic fugias, ut qui ſuperatus, Achæos
Dum fugeret, mortem dat miſer ipſe ſibi.
Demoſthenes. Aut is, quem vidit moriturum Ægeia tellus;
Qui, quod ſervarat ad ſua fata, bibit.
Erotoſthenes Cyrenæus. Utque Cyrenæus pereas, qui tædia morbi
Non tulit, æternam ſed tulit ante famem.
Menippus. Aut is, quem vicit fulvi jactura metalli,
Divitiiſque ſuper non valet eſſe ſuis.

Aut

Aut ut quas sensit fidas per vulnera conjux, Monima, & Verocina.
Et doluit quod tam sit bene nota fides; Mithridatis
Utque piæ nimium fratris de morte sorores Statyra, & Roxane.
Excepere necem fratre cadente, cadas.
Et bibe, Achæorum quod dux bibit, ore venenum; Critolaus.
Quod juga habent, tellus Thermopylæa, tua.
Quodque Nicoclides, tepido qui sanguine tauri Themistocles.
Pocula plena bibit, bella coactus agens.
Utque Syracusias, pereas, qui missus in oras Nicias Atheniensis.
Ipse sua cecidit victus ab hoste manu.
Aut ut tercentum juvenes, quos una manebant Tercentum Athenienses & Lacedæmonii.
Fata omnes, omnes abstulit una dies.
Non fuit heu tanti campus Tyreaticus, & vix
Vix Lacedæmonia est, vix tua, Pallas, humus.
In te conjuret Nereus, qui carmina vatis, P.Terencius.
Atque habet auctoris naufraga membra sinu.
Quique habet uxorem cum conjuge; tela Philippi Theoxena, & ejus vir.
Effugiens cecidit vir modo, & illa modo.
Et ferventis aquæ pereas demissus aheno; Democles.
Sic scelus effugit, teque, tyranne, puer.
Bubalus utque miser pictæ male præmia formæ Bubalus.
Morte habet, in simili tu quoque morte cadas.
Caussa fuit non magna quidem; tamen illa poetam
Movit, & horrendum surgere fecit opus.
Non tulit ille ferro spumantia carmina tabo,
Sed ruit in pœnas heu miser ipse suas.
Quæque manus meruere pati suspendia, solvit
Ille; manus caussas & dedit ipsa necem.
In te justa magis veniunt mea carmina, vota
Justa magis, veniet dignaque pœna magis.
Signa dedit cælo non inficianda sereno
Juppiter, a læva mæsta volavit avis.
Ergo quæ miserum tulit in sua fata Cleanthem, Cleanthes.
Spes vitæ alterius te quoque, sæve, trahat.
Atque ut Cambyses acto per viscera ferro, Cambyses.
Occumbe: est meritis mors ea digna tuis.

Decebalus. Sive ut quem vicit Trajanus, & inclyta vidit
Abſciſſum proprio vulnere Roma caput.
Anaxagoras. Aut is, qui ignitum lapidem te, magne deorum
Phœbe, refert, numen nec putat eſſe tuum,
Non currus, radioſve, aut clara jugalia ferre
Credit equos, celeres non putat eſſe rotas;
Non quæ declivem limbum, jamque ima ſecanti
Signa, paret requiem, cæruleoſque ſinus;
Suſcipiatque toro, foveatque calore diurno
Membra fatigati, pertimeatque diem.
Ira deum cepit; magna hæc injuria; pœna
Digna fuit; meruit; quam bibit ille, necem.
Et tu dignus eras, qui quod bibit ille, bibiſſes,
Juſtior inque tuo crimine pæna foret.
Aſpiciunt ergo ſuperi ſi lumine recto
Res hominum, juſta aut ſi movet ira Jovem.
Menſa Lycaoniæ. Si ille Lycaonias menſas, & tecta tyranni
Aper Calydonius. Evertit, memorant ſi Calydonis aprum.
Paris. Si memor Idalii juvenis Saturnia, Trojæ
Extremum exitium, ſævaque fata tulit.
Quid miſer expectas? quid non tua pectora ferro
Ipſe fodis? Veniet ſævior ira Dei.
Ille meis precibus nunc pondus ineſſe jubebit,
Quæque precor, firma hæc poſtmodo vota dabit.
Atque ego, dum cælum fulgentia ſidera habebunt,
Effundam ſævas in tua fata preces.
Æmilii uxor. Sic precor ut rabidis lacereris morſibus, ut quam
Æmilius ſævo vulnere flevit amans.
Juba. Et cade, ut immeriti cujus poſt funera nati
De niveis vincti Roma triumphat equis.
Quumque habeas altum crudeli in pectore vulnus,
Ecelinus. Sic vitam in tenebris ac Ecelinus agas.
Anchurus, & Curtius. Inque cavos terræ præceps volvaris hiatus,
Ut qui placarunt numina morte ſua.
Cyane. Aut veluti Cyanæ ſtupri comperta, parentem
Mox moritura necat, te tua nata necet.

Quaſ-

Quasque Lyci caussas habuit pia filia mortis, — Calluce.
  Has habe, & in nulla contumuleris humo.
Sicque tuum jugulum solvas, ut filia patrem — Balsatiam.
  Quæ victum fecit proditione sua.
Gidica privigni miseranda pependit amore, — Gidica.
  Sit tibi, qui laqueos præbeat, asper amor.
Deque tuo fiant infamia nomina ponto;
  Quæ te submergat, nomen habebit aqua.
Submersus dedit olim Anieni nomina Tuscus, — Anius Anieni fluvio nomen præbuit.
  Præbuit insano Graia puella mari. — Helle Hellesponto.
Dædalus Icariis, jam non pater, orbus in undis, — Icarus Icario mari.
  Conqueritur nati nomen habere fretum.
Te quoque in obscæna submersum, sæve, palude
  (Hac tu dignus aqua es) defleat orba parens.
Aut fleat abscissum caput istud, ut ille cruentas — Thereus.
  Heu nimium sero qui dolet esse dapes.
Sponte tua immisso fodias præcordia ferro
  Perfida. Democritum sic periisse ferunt. — Democritus.
Atque ut Democrates proprio sua viscera telo — Democrates.
  Transfixit, proprio tu quoque Marte cadas.
Utque Dioxippus spectantia lumina vultus — Dioxippus.
  Non tulit; in falso crimine multa luas.
Victa Britanniacæ moderatrix fœmina gentis
  Occidit, exhausto virus habente mero.
Occidis, & rigido confossus pectora ferro — Boudicea.
  Posthume, reginam morte secute tuam. — Paenius posthumus.
Tu diversa licet fata experiare duorum:
  Quumque habeas vulnus, toxica, stulte, bibas.
Nec tua tardentur inhonesto funere fata; — Milesiæ virgines.
  Fama est Milesias hoc tenuisse nurus.
Utque pater vitam natarum in funere fudit,
  Perpetuas lacrymas sanguine tinge tuo. — Scedasus.
Quæque fames miseram uxorem Cambleta vorare — Camblis.
  Jussit, & in dominæ fata movere manus;
Ipsa eadem te, sæve, trahat, lacerataque duris
  Morsibus, aut conjux aut tua nata cadat.

Tuque

Tuque tui ſceleris pius ultor, ut ille, reſolve
Colla, feris dapibus quæ patuere, tua.
Timagoras. Aut ut præcipitem ſemet dedit ille, Meleti
Qui paruit, celſo præcipitere jugo.
Timantes Cleoneus. Utque ſenex arcum, juvenis quem intenderat olim,
Fruſtra conatus tendere vulnus habet;
Sic miſer infractis utaris viribus in te,
In te crudeles, perfide, verte manus.
Derceto. Utque Semiramidis mater ſcelus auſa, profundo
Eſt ſubmerſa lacu, ſis precor ipſe lacu.
Neæra Salentina. Siſque Salentina ut virgo, indignata maritum
Conjugio pactos deſeruiſſe toros.
Menophilus. Aut Mithridatidis ut cuſtos, non ſegnis in ima
Viſcera crudeli dirige tela manu;
Gunilda. Aut cade, ut exemplum caſti Gunilda furoris
Quæ dedit, extinctum morte ſecuta virum;
Hdingus. Rolpo. Aut is, qui fauces laqueo conſtrinxit, & ille
Admonitus ſceleris qui perit ipſe ſui;
Startaterus. Quique dedit jugulum puero, ceciditque, quod auſus
Eſt ſcelus, & pœnæ præbuit ipſe manus;
Galeatius. Cuique dedere necem temeraria juſſa puellæ
(Heu nimium ſævos auſa puella jocos!)
Adraſtus. Quoque modo periit, pueri qui viſcera fixit,
Eſſe feram credens, per ſcelus ipſe peri.
Sargapiſes. Aut ut Sargapiſes, eſſent cui vincla ſaluti
Si ſua, quod ſcelus eſt, non foret auſa manus;
Boges. Aut is, qui lecti comites, natoſque, domumque
Impoſuit rapidis, ſeque, ſuoſque rogis;
Pætus Thraſeas Patavinus. Utque Patavinus Thraſeas, cui dira Neronis
Abſciſſi venis attulit ira necem;
Pyramus. Utque miſer cecidit juvenis Babylonius, atque
Thisbe. Quæ tinxit moriens ſanguine mora ſuo;
Eryſichthon. Utque ſibi corpus memorant Eryſichthona morſu
Conficere, & corpus ſic aluiſſe ſuum;
Sic miſer ipſe fero divellere viſcera dente
Incipe, deque tuo corpore ſume dapes.

Dæda-

Dædalion ut inire rogos, & funera natæ est Dædalion.
Ausus, ita in rapidos conjiciare rogos.
Utque ferunt Dido Phrygio mucrone perisse, Dido.
Ah scelus! hospitium sit tibi caussa necis.
Aut sis mersus aquis, ut quæ modo nympha Numici, Anna.
Facta est, Anna soror gurgite mersa perit.
Ah nimium, nimiumque ferox Ænea, superbis
Acte odiis! Dido sat cecidisse fuit.
Sat fuit immeritam Troja labente Creusam Creusa.
Deseruisse; rogis ne super adde rogos.
Tutius heu Libyci furias perpessa tyranni
Anna fores: Latio non premerere vado. Tarcla.
Iphias in medios moribunda ut posilit ignes, Evadne.
Immiscetque suis mortua membra viri;
Sic precor accensis injectus, perfide, flammis
Occumbe, & sceleri debita solve tuo.
Atque pia Hylonome monstrosa ut fata biformi Hylonome.
Morte imitata sua est, hanc imitere tua.
Et fratris vetitis ardentem Byblida flammis, Byblis.
Quæ laqueo periit fortiter ulta nefas.
Herculeos patiare rogos, lacrymasque parentis, Herculei ignes. Ægei lacrymæ.
Qui immutata videt lintea ferre rates.
Utque suis dominæ cineres qui miscuit, Hæmon Hæmon.
Corruit, ipse tuo saucius ense cadas;
Sive ut Leucadii crimen non vile profundi,
Sappho Mæonias docta movere deas; Sappho.
Utque colubrigena, insigni qui vulnere rupit Menecæus.
Sponte animam, patriæ consuluitque suæ;
Aut ut natarum furiis agitata Creontis Jocasta.
Filia, quæ primi corruit ense viri;
Sive ut præcipitem qui se de culmine turris Mopsus.
Jecit, & a gemino funere funus habet;
Et sic dispereas, inhonesti ut Phædra furoris Phædra.
Impatiens, vetitos heu petere ausa toros;
Aut ea, quæ fugit conjux Athamanta furentem, Ino.
In mediumque ausa est prosiluisse fretum;

Phyllis. Sive ut crudeli pendens Rhodopæia zona,
Non passa absentem est Demophoonta diu.
Avotulia. Ut quoque facundi temeraria mater Ulyssis,
Quæ pendet, longa credula facta mora.
Ajax Telamonius. Sive ut, qui nunquam superatus ab Hectore, ferro
Incubuit, dextra fer male facta tua.
Iphis. Atque ut Anaxaretes Iphis de fune pependit,
Anaxarete. Illaque ut est dominum morte secuta suum;
Amphion. Utque pater miseris sua funera miscuit umbris
Natarum, Phœbi quas dedit ira neci.
Brotheus Canace. Utque cremanda pyræ Brotheus sua membra dedisse
Fertur, & ut gladio nata perisse patris;
Sic tibi sint caussæ, miseræ queis tædia vitæ
Crescant, ut nulla, sæve, juveris ope.
Ceix. Milo. Nec mage felices moveant tua lintea venti,
Quam queis Alcyones vir jacet, atque Milo.
Sic sis infelix, ut quæ superesse peremto
Deianira. Non potuit tristis Deianira viro.
Erigone. Quæque dedit niveo virgo Marathonia collo
Vincula, per tetricum fac tibi guttur eant.
Evenus. Et rapidis fac nomen aquis, Evenus ut olim,
Tyberinus. Aut cujus senior nunc Tyberinus habet.
Ilice. Atque ut, quæ cupido fecit convicia divo,
Culmine de summo præcipitere jugi.
Macaria Herculis filia. Sive ut Tartareas quæ se devovit ad aras,
Sis precor infernis victima grata deis.
Tyro. Sive & quæ voluit Tyro Pegasæa subire
(Proh decus eximium!) tristia fata viri.
Alcestis. Aut quæ passa olim est Alcestis fata mariti,
Impenditque animam casta puella viro.
Et de præcipiti jacteris, perfide, saxo,
Jole. Ut virgo Herculeis sæpe petita toris.
Aut capite illiso posti, perfunde cerebro
Herennius Siculus. Saxa procul: Siculum, quo tuearis, habes.
Aut capite immisso media inter crura, nitentes
Coma latro. Linque auras: est qui det tibi Coma modum.

Nec

Nec tibi contingat pater illo justior, ad quem
  Venit nata iras edomitura deum. Idomeneus.
Nec qui victoris tepefecit sanguine nati
  Tela pater, sumsit quod vetita arma puer. Manlius Torquatus.
Utque cruenta fero natorum vulnere Colchis Medea.
  Immaduit, madeat sic tua cæde parens.
Utque Athamantæo cecidit puer ille furore, Learchus.
  Sic patrias proprio sanguine sparge manus.
Aut qui vesanæ sensit fera facta parentis,
  Et cecidit matris vulnere visus aper. Pentheus.
Quodque fuit nato crudelis Tantalus, & quod Tantalus.
  Heu fuit in miserum non bona mater Itym. Progne.
Quod pater Hippodamas natæ, quod Thestias illi, Hippodamas in Perimelam sævit.
  Qui cum combusto stipite & ipse perit.
Quodque parens illi, periit qui in limine tecti, Eurysthenis mater filium.
  Nec potuit fugiens effugere ipse necem;
Hoc tibi sit mater, patrioque occumbe furore,
  Ut quos Dejotarus sponte necavit atrox, Dejotarus filio.
Aut quam Virginius ferro transverberat, & quam Virginius Virginiæ.
  Hippomenes sævo præbuit asper equo.
Atque ut quam terræ infodit pater Orchamus, & qui
  Præbuit Arpiagæ membra voranda puer.
Aut nato patrante nefas occumbe; Gryphilem
  Fama est heu nati vulnera habere sui.
Utque manu cecidit conjux Agamemnonis illa, Clytemnestra.
  Quam peperit, nati saucius esto manu.
Aut ea, quæ gemino sensit fera facta Neronis Agrippina.
  Crimine, post stuprum non bene cæsa parens.
Aut quæ concubitus nati male sana petivit,
  Congressusque tulit barbara turpis equi,
Sisque tuis notus, quantum Laërtius heros,
  Qui patitur nati nescia tela sui.
Nec tua progenies tibi sit minus impia, quam quæ
  Credidit in juvenem posse redire senem,
Quamque fuit fratris madefactus sanguine Evander,
  Audeat atque tuam frater inire necem.

Sit

Sit tibi, ſi fuerit frater, quod Tydeus illi,
  Qui fratris ſenſit vulnera facta manu.
Medea. Et tua membra ſoror diſcerpat, ut illa, parentis
  Claudere quæ cæſo fratre paravit iter.
Utque Mithridates cecidit, fraterque Quirini,
  In te fraternas experiare manus.
Oſiris. Truncaque membra geras, ut qui a Typhone peremtus
  Fertur, & Oxylochi qui tulit enſe necem.
Aut is, qui fratris natos nil tale putantes
  Enſe fero fodit, ſis lacer ipſe precor.
Utque ſoror cecidit Critolai, nempe furentis
  Enſe cadas fratris *
Et tua ſit, qualis conjux Agamemnonis, atque
  Turba maritali ſanguinolenta nece eſt.
Quum tandem longo defeſſa in membra labore
  Serpſerit alta quies, conjugis enſe cadas.
Nec tibi ſit thalamus thalamo felicior illo,
  In quo nupta viri cæde cruenta fuit.
Aut quo cæde madens, turba comitata ſororum,
  Auſa eſt heu jugulos ſolvere virgo viri.
Albinamque ſuo de nomine dicere gentem,
  Gentem quæ Bruti nomine dicta modo eſt.
Utque perit Cephali conjux miſeranda, peremtus,
  Damna feras ſævi muneris ipſe tui.
Nec tibi vina magis ſit fas impune bibiſſe,
  Quam qui vina ſimul perbibit, atque necem.
Utque miſer ſævi facta impia Lauſus Amulj
  Heu patitur, patrui tu patiare manus.
Membraque det miſeræ ferus ille voranda parenti,
  Ut data ſunt nati membra, Thyeſte, tibi.
Fraternaque manu juguleris more Sichæi,
  Et quas non habeas, quærat avarus opes.
Et tua ſæva magis diſcerpat viſcera mater,
  Quam quæ Chryſippo fata noverca tulit.
Utque fero Ægyſthus patrui de ſanguine dextram
  Tinxit, & ut Perſeus eſt ſcelus ultus avi:

Ut

Ut Nero longævum properare in fata Neronem
  Fecit, & ad Stygias per ſcelus ivit aquas;
Sic precor, inſidiis pereas, ſcelerate, tuorum,
  Et fodiat natus, vel tua membra parens.
Aut ut Leucaſpis, Lyciæque inſignis Orontes
  Dux claſſis; pontum naufragus ore bibe.
Et tua, ſi tumidum ſuperaveris improbe pontum,
  Membra feras, tecta ut fert Palynurus humo.
Sive ut Priamides, ſutis qui corpora pennis
  Sublevat, in raucas dejiciaris aquas.
Sive ut Abydenus juvenis, viſurus amicam
  Cum properes, media deſtituare via.
Comicus exiguis miſer eſt ut merſus in undis,
  Quamlibet exiguo flumine, ſæve, peri.
Aut pereas, ut qui Tritona laceſſere raucum
  Auſus, cæruleæ gurgite merſus aquæ eſt.
Aut ut Myrtoo qui fecit nomina ponto,
  Myrtilus & dominæ proditor, & domini;
Utque puer tunicam Neſſeo ſanguine tinctam
  Qui tulit, & patri fata ſibique tulit;
Utque Agamemnonius puer obrutus, indita de quo
  Sunt Argenuſis nomina clara locis;
Et ne ſciſſa feris ſolus ſua membra quadrigis
  Senſerit Hippolytus, tu lacereris equis;
Deque tua madeant avidæ ſic cæde jugales,
  Ut quæ de domini ſanguine pabula habent.
Aut per ſaxoſas rapteris, perfide, ſylvas;
  Mettius ut rapidis eſt laceratus equis:
Diraque Threicii regis præſepia paſce,
  Et tua pro dapibus viſcera carpat equus.
Et tua dente fero divellant membra jugales:
  Experta eſt pœnæ hoc Hippodamia genus.
Sive ut Pyrechmes urbem Cadmeida bello
  Auſus ab Euboico ſollicitare ſolo;
Aut ut equo præceps ſua guttura pollice Agenor
  Clauſit, fatali guttura claude manu.

Nec levius doleas, quam qui cava robora primus
  Palladii certa cuspide fixit equi;
Quamque satos tellure armis petere ausus Orion,
  Hostem qui cælum cernit habere suum.
Utque Agamemnonius temerarius ultor Orestes,
  Qui cecidit morsu virus habente, cadas.
Teque, Lycurgiadem, seu qui laniavit Adonim
  Venantem Paphiæ vertice, rumpat aper.
Seu qui fulmineis prostravit dentibus olim
  Idmona, seu miserum quæ lea stravit Hyam.
Quique Crotopiaden, seu qui sub imagine cervi
  Cadmeum juvenem diripuere canes.
Quæque cothurnatum rabies insana poetam,
  Quæque Thrasum rapuit turba cruenta canum.
Quæque Crotonensis, qua Crathes occidit, illa,
  Sive Paphagea tu quoque morte cadas.
In te sæva magis veniant fera tela Tonantis,
  Quam quæ centimanum diripuere Gygen.
Aut quæ raptorem deturbavere profundo,
  Palladis adversa fulmina missa manu.
Aut quibus Autonoes periit soror, aut quibus ille,
  Qui est ausus magni fingere tela Jovis:
Aut quibus Æolides, aut qui jacet igne trisulco,
  Ausus in immensum verba tonare patrem.
Utque Lycaonio natus de sanguine, vel qui
  Dosithoem magni prodidit esse Jovis.
Æreque seu Phalaris, seu sævi more Perilli,
  Ipse geme, & Paphios voce imitare boves.
Utque feras sensit Macedo cum conjuge flammas,
  Sic, precor, æthereo cæsus ab igne cadas.
Aut cade, ut a patria missus puer Hectoris arce,
  Quum raperent acres membra parentis equi.
Sive ut qui saltu transegit Thessalus uno
  Summum Ossam, summo dejiciare jugo.
Neve gradus scandas Elpenore cautior, aut qui
  Doctus opem multis, non tulit ipse sibi.

Ut

Ut miser aut altæ præceps de culmine turris
  Calistus cecidit, sanguine tinxit humum.
Utque secuta sui morte est Pleberis amantis
  Funus, & a miseri desilit arce patris:
Fœdavitque senis proprio de sanguine canos,
  Et caussas tanti criminis ausa loqui est.
Mox Stygios visura lacus moribunda, Caliste,
  Ingeminat: sine me, sæve Caliste, fugis?
Sæve mane, tua te sequitur Melibæa; relicta
  Me viva, Stygias solus adibis aquas?
Heu melius tumulo condemur uterque sub uno,
  Et Phlegethontæos ibimus ambo lacus.
Ecce manet: natam, miserande, heu sume cadentem,
  Sume pater, comitem sic sequar ipsa meum.
Sic pereas, scelerate, pias sic, sæve, tuorum
  Ipsa move lacrymas *
Nec certa tellure magis spatiere, poeta
  Heu miser Oiclides quam fuit haustus equis.
Sive cothurnatus periit qua morte Lycophron,
  Pectora lethalis fingat arundo tua.
Corpore seu toto fons sanguinis effluat isto,
  Ut de quo Phrygium nomina flumen habet.
Denique pauca licet, sed dii rata vota secundent,
  Multiplicentque meas in tua fata preces.
Hæc tibi, pauca quidem, subito properata furore
  Mittimus, exiguo tempore plura leges.
Postmodo fatiferos, scelerate, horreois iambos:
  Incipe jam trepido, sæve, perire metu.



CARMINUM VARIORUM
LIBER.

AD ANTONIUM FONSECAM

Amplissimum Pompejopolitanum Episcopum
De Pompejopoli

SERMO.

Quid mihi visum sit Pompeji de urbe, requiris.
Difficile est dictu, Fonseca amplissime: nam si
Arcem, templa, vias, aut mœnia dixeris urbem;
Pulchrius in toto nihil est, vel amænius orbe.
Si cives moresque hominum, quos ipse gubernas,
Et regis imperio felici; victa recedat
Relligio veteris Romæ, contentaque parvo
Serrani, Curiique domus: gens tota diurno,
Nocturnoque intenta operi, non cessat ab arte
Quisque sua, duros assueti ferre labores,
Et callis durare manus. Num fertilis agri
Commemorem raros sub adunco vomere fructus?
Floret ibi alma Ceres, quantam metit Africa, quantam
Appulus invideat, vel frumentalis Eleusis.
Corniger uberius nusquam sua munera Bacchus
Pampinea effudit dextra; generosa falerni,
Famosique quibus cedant vineta Timoli.
Uberius nusquam dives Pomona beatas
Fudit opes, pomive graves felicius hortos
Servavit rubra metuendus falce Priapus.
Nec melius campo pecorisve gregisve magister
Pavit oves, tauros, genus omne armenta Falisco,
Quam Pompejanis campis, quos fertilis Arga
Abluit, & placido fecundat flumine, Iberum
Aucturus, magnum a quo sumsit Iberia nomen.
Attamen in tanta rerum ubertate requiram
Ipse quid, ignoras: paucis dicam, accipe, verbis.
Privatis contenta opibus gens, suetaque parvo
Finibus in patriis semper manet, inscia gentis

Ullius

Ullius hoſpitio, vel conſuetudine, longas
Ire in amicitias, peregrinæ aut ſueſcere genti.
Inde fit, ut ſi quis nova limina venerit hoſpes;
Miretur nullas gentem Jovis hoſpitis aras
Incolere, & nullos magno dare thuris honores
Amphitryoniadi, vaſtus cui ceſſit Avernus
Hoſpitio placido, cui triplex Cerberus, & cui
Vorticibus Phlegethon nigris, atraque favilla:
Qui vagus inſtituit primus jura hoſpitis hoſpes,
Primus & humanis conſueſcere moribus orbem.
Ergo vix tota reperire eſt urbe, benigno
Qui excipiat quemquam hoſpitio, aut levet ore vagantem
Compita, perque vias, ullo aut dignetur honore.
Hinc faciles fugiſſe rudem Pimpleidas urbem,
Caſtaliamque habitare domum, & ſacram Hippocrenem
Crediderim, veritas ne ſi conſueta relinquant
Forte loca, atque hujus veniant ad inhoſpita tecta
Urbis, ad infamem credant veniſſe repulſam,
Aut inimica ultro ſub tecta, & vincla Pyreni.
  Te ſolum agnoſcunt, nomen qui ducis ab ipſo
Fonte Caballeo, præſul doctiſſime; ſoli
Indulgent teneræ docta cum Pallade Muſæ.
Dumque iſto ſunt ore omnes, dum pectore ſacro,
Nulla deas Pindi tenet, aut Heliconidos undæ
Cura, nec Aonios latices, fontemque requirunt.

AD JOANNEM PESQUERAM.

Homines non eſſe, niſi qui docti ſunt,

SERMO.

PEſquera, egregium Phœbi decus, Aonidumque;
Præſidiumque ingens, cultæ & tutela Minervæ:
Eſſe homines reris, quos recto corpore in auras
Elatos ſe ferre vides, celſumque cacumen
Tollere, & æthereas in ſedes ſurgere vultu,
Et frontem exerere, & terras ſublimibus omnes
Deſpicere

Despicere erectos oculis late usque jacentes?
Humana specie, atque humanis gressibus alte
Qui incedunt, celsoque polos passim ore tuentur?
Si male desipiunt miseri, nullisque gravatos
Artubus attollunt animos, & in æthera ducunt?
An vacua, & cerebri capita indiga cernere credis,
Humanumque nihil, solam nisi habentia formam?
Namque ego, ut ingenue fatear, cohibere cachinnc
Turgentes nequeo, premere aut sub pectore risum,
Naturam quoties hominum scrutarier alta
Mente paro, atque homines dici rationis egentes
Conspicio, & multis brutorum ignobiliores.
Nam quæ cum brutis communia corpora habemus,
Recta licet, tamen haudquaquam meliora caducis,
Aut minus indomitæ telis obnoxia mortis,
Non homines faciunt. Ratio & sapientia viles
In loca mortales deducunt proxima divis,
Humanosque docent; homines unde ordine dicti
Moribus humanis faciles, comesque, benignique,
Et qui doctrina & musarum dotibus aucti,
A stolido distant pecore, & se nubibus abdunt.
Attamen hæc quæ nos ratio cælestibus infert,
Igniculos duce natura licet ardua nostris
Accendat quendoque animis, quibus insita recti
Semina, naturam ad frugem perducere honesti
Possemus; nequit ipsa tamen, nisi culta, favillam
Elicere, ignavo cinerum torpore situque:
Quin carie, & tenebris vitiorum victa malignis,
Deficit extincta face, nec non lumine demto
Sordibus obruitur, nebulaque involvitur atra.
Hinc stnpor humanos animos, hinc turbida cæcos
Caligo rapit in pejus; nec tramite recto,
Nec firmo sinit ire gradu mortalia corda;
Nec licet invento, virtutis sistere calle,
Propositumque incœptum homines finemve tenere.
Avia præcipites sed per, dumosaque ferri
Cogit,

Cogit, & audaces per lubrica ducere gressus,
Diversos prorsum a signo quo tenditur, ac si
Quis pro fronte scopum fixurus, spicula retro
Jactet, & intentos post tergum porrigat arcus.
Est operæ pretium sopitas mentibus ergo,
Et multo nigras cinere instaurare favillas,
Atque ignem excutere abstrusum rationis ademtæ;
Si dici, atque homines merito demum esse velimus,
Cum volucres animæ potius, quam corpora simus;
Cum soli ingenium sortiti, cum face soli
Arcana digni, quæ mentes lumine puro
Dirigit, immensi stimulatque cupidine cæli,
Cælicolumque facit, divinorumque capaces:
Utque libenti animo curamus corpora; sic nos
(Majus habet pretium quæ corpore) pascere mentem,
Et curare decet, rectique accendere amore:
Si juvat humano censeri nomine, vel si
A grege mutorum secerni. Quare ego pani
Doctrinam primo soleo conferre ciborum;
Corpora namque ut alit terrarum munus, alumnæ
Sic animos Phœbi, & Musarum, & Palladis artes.
Utque hominum Cereris vel solo munere vita
Nutriri reficique potest, si cætera desint;
Et sine ruriculæ genitricis germine, frustra
Quicquid ubique cibum natura creavit, abundet:
Haud secus ambrosia mentis, sacroque carentes
Nectare, Musarum expertes, & Apollinis antri,
Quantumcunque Midæ ornatos, Crœsique talentis,
Insanis quanquam cumulentur honoribus; at non
Dixeris esse homines, meliori parte minutos,
Et tota mutilos mente? ut Vulpecula nuper,
Quæ caput humanum, figulinam ingressa choragi,
Exacte usque adeo fictum, ut si spiritus & mens
Adfuerit tantum, reliqua vivisceret arte,
Invenit, sumsitque manu; & Proh Juppiter, inquit,
Quantum & quale caput, cerebrum nisi deesset in illo.

Contra

Contra doctrinæ ſacrum cui nectar abundet,
Pieriuſque latex animi formator, Ulyſſe
Enatet ut tandem vel nudior; at Jove ſolo,
Divitiis regnoque, fateberis eſſe minorem.
Quo fit, ut optarim tecum hæc ridere, coruſcas
Omnigena qui cum doctrina temnere larvas,
Purpureis licet ornatas in veſtibus audes,
Et ratione homines, at non finire figura.

AD ANTONIUM VALDELOMARUM.

De utilitate ab inimicis capienda, ex Plutarcho,

SERMO.

VAldelomare, novem Muſarum gloria, fontis
Bellerophontei cui labra impleſſe liquore
Contigit haud tantum, & bijugum ſuperaſſe cacumen;
Sed quod virtutem ad Muſas ſuperaddere puram,
Et fieri exemplar doctrinæ, exemplar honeſti.
Tu quoque noſtra ſoles legere atque audire libenter,
Et pro more tuo, ſim qualiacumque locutus,
Aure tamen populi digna, & Libanitide cedro
Magnifica cum laude refers, ſuadeſque libellos
Ancipitis vulgi naſo committere noſtros,
Et cælo mandare; tamen mihi curta ſupellex,
Nota intus, trutinam ne me extra forte requiram,
Cogit, & ut tantum tollam mea munera, & ipſe
Mecum habitem, & me caſtigem, nec laudibus iſtis
Improbus accedam, vulgi aut examina tentem.
Sit ſatis atque ſuper me commiſiſſe duorum
Judicio, vel forte trium, quorum mihi mens eſt,
Et conſtans animi candor, doctrinaque nota,
Et noſtri ſincerus amor. Tunc te quoque amicus
Admoneo videas: ſed tu tibi proſpice, qualem
Commendes; ne noſtra legens Sauzedus amicos
Maxima pars inter noſtros, Peſquerave quando,
Tunc mea forte tibi merito peccata pudorem
Incutiant

Incutiant; quoniam certum eſt mihi, noſtra quod intus
Mens agitat, verbis extra depromere apertis;
Et tecum, & cum illis tantum, quod nos juvet omnes,
Conferre, atque utinam quid ſit, quod & utile proſit.
Nil porro invenies, rerum natura creatrix
Munere amicitiæ majus mortalibus ægris
Quod dederit, pulchrumve magis, nec dulcius unquam
Utiliuſve; licet perpendas cuncta parentis
Omnigenæ præclara opera, & data munera mundo.
Namque in amicitiam qui non coiere, ferarum
More vagi, atque hominum expertes rationis aguntur,
Extorres, inopes, domibus ſine, & urbibus, & re,
Et natis, & conjugiis, ſanctiſque deorum
Legibus, ignari curas committere cuiquam,
Sermoneſque ſuos, rerumque aperire ſuarum
Conſilia; immunes ſummis parviſque gerendis,
Externa confidere ope, audacterque rogare
Quæ cupiant, ſi quæ cupiunt; aut quæ bona dictu,
Aut quæ tincta malis, ſeu ſeria, ſive jocoſa,
Evomere incauti, temere, tutoque locare.
Attamen hæc, quæ nos in tecta urbeſque coegit,
Dulcis amicitia, ut varium & mutabile noſtrum
Eſt genus, invidiæ & livoris crimine, cæcas
Verſa ſimultates, nec non odia aſpera gignit;
Noſque inimicitiis miſeros involvit amaris.
Uſque adeo infirmum eſt, ſi quod mortalibus uſquam
Conceſſere bonum ſuperi, prudentia quod non
Munit, & optatum in finem ſapientia ducit.
Unica quæ vitæ ratio eſt, quæque unica tantis
E tenebris mortale genus moderamine recto
Eripere, & tantis vitiorum e fluctibus, almo
In portu, & clara potis eſt in luce locare.
Quo fit, ut infenſos ſi non vitare inimicos
Poſſimus, damnum ducti ratione queamus.
Quodque eſt mortales ſupra, dignumque beato
Sanguine divorum genitis, non noxia tantum

 Tela

Tela inimicorum, atque iras contundere acerbas,
Sed capere ingentem infeſtis ex hoſtibus uſum;
Eque inimicitiis ingentia commoda ferre.
Namque ut priſcorum quidam de ſanguine quondam,
Pro vita ſolum, dulcique ſalute tuenda,
Cum rabidis pugnare feris ſuevere, beatos
Se ſe, quum mortem fugerent vulnuſve, putantes:
Atque alii ratione feris ſine Marte fruendi
Inventa, haud ſolum nunquam læduntur ab illis,
Maxima verum etiam capiunt diſcrimine nullo,
Et multum noſtram recreantia commoda vitam;
Veſtimurque pilis, hirſutis pellibus aut cum
Munimur, morbis etiam medicamina lacte,
Aut felle, aut pingui ſtudium eſt adhibere ſagina;
Quis, niſi cui non eſt mentis ſcintilla, negabit
Vitam hominum fore ſylveſtrem, duram, atque ferinam
Omnino, nullaque(feris ſine) parte beatam?
Sic qui contenti nihil uſquam ex hoſtibus ullis
Se cepiſſe mali vivunt, niſi commoda ſumant
Ipſis ex inimicitiis, quæ plurima poſſunt;
Obſcuram, atque inopem, atque humana parte carentem
Vitam agere, aut animam potius fortaſſe, putabo.
Illos cælicolum felices vivere more,
Diſtanteſque parum a ſuperis, quibus ardua mens eſt
Et ratio, & victrix omnis ſapientia noxæ:
Uti inimicitiis qui norunt, & bona ab illis
Elicere, illuſtrem quæ reddant undique vitam.
Quare operæ pretium fuerit, qua quærere parte,
Qua ratione ſui fructum præbere inimicus;
Vel qua contingi, valeat ne lædere, poſſit
Noxius, & parte ex alia miſereſcere ſemper
Neſcius, immitis, pugnax, rixoſus, iniquus.
Principio qua parte magis damnoſa ſimultas
Eſſe poteſt, illa majorem inducere fructum
Vitæ hominum reputo, majoraque commoda ferre.
Namque inimicitiis ardens flagrantius hoſtis,

Incum-

Incumbens vigili circumſpicit undique ſenſu,
Obſervatque tuam, luſtratque per omnia vitam;
Seu quid agas, ſeu quid reputes tecum, atque loquaris,
Sive domi, ſeu forte foris, penetratque tuarum,
Nubila ceu quondam proles Aphareia Lynceus,
Ultra tecta, trabeſque, & tigna, & ſaxa domorum.
Arcana quæ mente geris, quæ pectore volvis,
Quid tandem famulis committis, vel quid amicis,
Conſortive tori, vel veſtro ſanguine natis.
Cunctaque ſcrutatur, maledictis dum petit audax,
Dum culpis inhiat ſolers, peccataque captat.
Nec ſecus ac vultur putris raptatur odore
Corporis, & ſano nunquam validoque movetur:
Sic ſiquid noſtra infirmum, vel debile vita,
Sic ſiquid vitio affectum eſt, hoc excitat hoſtem,
Hoc movet; inque unum hoc aſſurgens aſſilit, inſtat,
Vellicat, arrodit, variiſque aſſultibus urget.
An non eſt igitur vitæ per quam utile noſtræ
Huc adigi, nequid fœde admittamus inertes?
Incircumſpecti nequid dicamus? & omnem
Vivamus cauti vitam, & ſine crimine, mores
Compoſitos, caſtos, incorruptoſque tuentes?
Hæc quoniam nunc cura avidas a turpibus (hoſtis
Forte metu) cohibet mentes, animoſque coercens
Cogit, & ut redeant in ſe ſe commonet, arcet
A vitiis primum, tum in nobis gignit honeſti
Et recti ſtudium; mox conſuetudine, caſte
Atque inculpate vivendi aſſueſcimus arti.
Haud ſecus atque urbes, pugnax quibus imminet hoſtis,
Citra neglectum doctæ gerere omnia ab hoſte,
Legibus aſſueſcunt vigiles, & publica curant
Rectius, & parte ex omni virtutibus inſtant:
Sic quos huc odium violenti compulit hoſtis,
Ut ſine neglectu vitii contagia vitent,
Cordaque contineant feralis ſobria culpæ;
Paulatim ſola vel conſuetudine ducti,

Egregiæ insistunt operæ, moresque pudicos
Componunt, gaudentque ulla sine vivere labe.
Præcipue in promtu quibus est, ne vota secundent
Hostibus, aut faciant, aut afficiantur Achivi,
Cur Priamus, Priamoque sati lætentur. At hortum
Floricomum, multaque rosa & bene olentibus herbis
Fecundum, cultumve agrum si viderit hostis,
Ingemit, & catulos ægre fert, sive jugales
Efferri, aut digna celebrari laude caballos:
Et nos, si justi simus, frugique, probique,
Cordatique, feret? si Phœbi & Pallidis arte
Mirandi, alloquioque graves, rebusque gerendis
Sinceri atque incorrupti? si sobria victus
Corpora, si mentes pulcherrima pectoris alti
Consilia in medium, res ut petat, usque ferentes?
Non ea vis ægro est, nec tanta potentia victo.
Mobilis æde senex, quo pacto ulciscier hostem
Quis posset, quondam sic respondisse, rogatus
Dicitur: Eximium si se se gesserit, inquit,
Omnigena virtute virum. Quam, Juppiter, almum,
Quam castum, urbanum, sapiens, quam denique dignum
Responsum Cynico! siquidem tunc vincitur hostis,
Tunc dolet, atque animo tunc discruciatur amaro,
Cum probitate animi, doctrinæ dotibus, atque
Solerti rerum cura, pietate, pudore,
Munifica virtute videt se vincier, a quo
Ægrius, atque omni ferat impatientius ævo.
Tunc dolor obturat linguam; tunc guttura mæror
Obsepit, tunc ora silentia tristia ducunt,
Vinclaque captivus sentit nodosa palatus,
Dicere ut obseptus nequeat, vel ut hiscere quicquam.
Conandum nobis igitur, qua possumus, hunc ut
Ex inimicitiis fructum capiamus, acerbis
Hostibus ut simus meliores, utque probemur
His etiam, nobis qui se male velle fatentur.
Cum quibus indignum est probris certare; sed ut sit
Hoc

Hoc quoque nobis invitis quandoque necesse,
Absimus longe probris, absimus ab illis
Quæ jacimus; ne nostra sinum manus improba lædat,
Et populo risum moveamus, turpiter altum
Dum in cælum incauti spuimus, faciemque rigamus.
Auctori nam versa suo quæ probra pudorem
Incutiunt, illis nihil est vel acerbius usquam,
Vel gravius, mentemque magis quod rodat, & angat.
Est descendendum prius ergo in pectus, & illic
Lustrandum, cariosum aliquid num viscera rodat;
Num vitiis quæ sint obnoxia turpiter, unde
Quis probrum objiciat tragicum; scatet improbus ipse
Ulceribus, medicamque aliis en porrigit herbam.
Qui sic ergo alium probris incessit, ut ipse
Se contempletur, componat, corrigat, atque
In melius vitam commutet; scilicet ille
Ex male dicendo haud minimam se carpere frugem
Sentiet: ac parte ex alia fortasse minorem
Non capiet, probris si forte affectus ab hoste,
Vulnus Achilleæ submittat Telephus hastæ.
Namque hic,. ubi medicum nusquam reperisset amicum,
Hostili rursus submisit vulnera dextræ;
Sic quibus officium desit monitoris amici,
Opprobriis inimicorum curentur oportet.
Atque ut Thessalicum qui quum mactasse Prometheum
Crederet, hostili percusso tubere telo
Servavit; sic sæpe odio conjecta furenti
Probra solent animi morbis conferre salutem.
Opprobriis ergo tacti videamus oportet,
Verane quæ dirus maledicta objecerit hostis,
Conspersique nota purgemur: lurida ceu si
Inficiat vestem macula, ostensamque luamus.
Nec minor in falsis cura est adhibenda, nec ob quod
Objicitur falsum maledictum, temnere oportet:
Sed magis expensa probri ratione videndum,
Quid fuerit caussæ, cur hæc objecerit hostis,

Præbuerit

Præbuerit vel quid maledictis talibus anſam.
Num factum, dictumve aliquod, num crimen amici,
Num ſimile objectis quicquam quod fecimus, aut quod
Noſtrorum quiſquam commiſit: cumque prehenſa,
Et ratio objecti fuerit bene cognita prebri;
Tunc porro inſtandum velis remiſque, malorum
Vitemus cauſſas dictorum, cuncta caventes,
Unde inimica petat, vel falſo, jurgia lingua.
Adde quod egregium eſt, alio maledicta vomente
Nos regere, & tacita placidos perferre quiete
Vipereum virus, veluti mordacia Liſſi
Æquoraque, & ſcopulos qui præternavigat atros.
Egregium frænare animos, iramque domare;
Et ſpatium, placidamque moram præbere furori.
Impetus, inſanuſque tumor, veſanaque mentis,
Et rationis egens rabies male cuncta miniſtrant,
In præcepſque ferunt. Quare pulcherrima virtus
Hos animi motus compeſcere; qui niſi parent,
Noſter ut admonuit Flaccus, dominentur oportet.
Sed frænare tamen, rectique tenere catena
Ardentes, longa niſi conſuetudine, non eſt
Humanæ rationis opus. Qui ſueſcimus ergo
Ferre inimicorum taciti maledicta, feremus
Iratæ uxoris certamina, fratris, amici,
Commoti nullo, perturbative furore.
Et qui rixantes patimur fratreſque, propinquoſque,
Atque inimicorum toleramus verba moleſta;
Quantum aberit, lapſus etiam ut doleamus utroſque,
Atque ut amicorum pariter, pariterque ruina
Dira inimicorum triſtemur, quodque deorum
Eſt opus, admonuit ſi forte occaſio, noſtros
Spernamus merita vindicta ulciſcier hoſtes?
Tunc qui non multa celebrandam laude putarit
Illius eximiam virtutem, caſibus hoſtis
Qui dolet adverſis, placida qui mente roganti
Præbet opem, ſtudiumque impendit providus, illum
Expli-

Explicet ut dubio pressum fortasse periculo;
Hic adamanteum gerit intra viscera pectus,
Et chalybe excusum duro; fraudandus honore
Quandoquidem merito nemo est, vel judice diro
Hoste: redit quoniam laudati gloria ad ipsos
Qui laudant, constansque fides damnantibus hæret,
Si quando fœdi quid detestantur in hoste.
Nempe inimicorum qui laudibus acta sequuntur,
Assueti meritos celebrare, & qui neque ringi,
Nec fortunatis angi successibus hostis,
Morderive solent; nullo livore videbunt
Prospera amicorum, nullis singultibus ora
Concutient, nulloque trahent suspiria fletu.
Ergo quid utilius? quid pulchrius? aut quid honestum
Est magis, invidiam quam quod mortalibus acrem
Livoremque adimit, studium? gignitque benignas
In nobis mentes, habitumque inducit honesti,
Et docet infanda vitiorum absistere noxa?
Quandoquidem assueti recte cum turpibus, atque
Infensis agere adversis, haud turpiter unquam,
Injusteque, doloque malignæ fraudis, amicis
Cum nostris, famulisque, & eorum rebus agemus.
Quapropter summis curandum viribus, ut de
Imperio, virtute, opibus non turpiter auctis,
De laude, atque animi de dotibus, ingenioque,
Omnigena de doctrina, de rebus honestis,
Sic decertemus cum nostris hostibus ut nos
Quod superent, animo ne discruciemur amaro,
Aut tabe omnino contabescamus inerti;
Sed magis ut mores inimici, & facta notemus,
Et quibus ad summam, qua vincimur, artibus ille
Pervenit laudem: torpentem deinde paremus
Segnitiem, studio vincendi, mentibus omnem
Excutere, & curam solertem impendere, ut illa,
Qua vincebamur, ne simus parte minores.
Nam si judiciis corruptis principis aulam,
Indignive

Indignive tenent inhonesta per omnia, quantum
Est auri terram subter vel desuper, hostes;
Haud erit unde animo quis commoveatur acerbo,
Qui colat eximiam virtutem, cui neque gemmæ,
India quotquot habet, nec gloria principis, ipsum
Nec quantum est regnorum, est æquiparabile soli:
Quandoquidem clarum nihil est, quod turpibus usquam
Nascitur, & recta longe ratione remotum est.
Quare inimicorum vitiis non ilia risu
Concutienda hilari, nec pulchra gerentibus, acri
In fletu & lacrymis mens dejicienda misellis;
Sed magis instandum, dum quæ gessere decenter
Et recte, studio solerti imitamur, ut illis
Omnigena virtute pares reputemur, & omnem
Dum fugimus labem, meliores undique simus.
Hæc ego, non ut te moneam, quem culta Minerva,
Valdelomare, choro circumsistente Sororum,
Et sacram Phœbo citharam pulsante canoro,
Erudiit bijugi Parnassi ad culmina, verum
Ut tantum experiar vacuæ conamina mentis,
Atque caballino discam prodesse furore.

AD DOCTOREM ILLESCAM

De Historia sua Pontificali

CARMEN.

HIspano historias (decus o, splendorque, jubarque,
Illesca, Aonidum gloriaque ampla novem)
Hispano sermone, inquam, quod condere gaudes
Historias, multa cum ratione facis.
Nam quem non patrio bene de sermone mereri,
Et Græco, & Latio præposuisse decet?
Præcipue in pretio linguæ, cum nomine rerum
Scriptarum, doctos quæ erudiere, manent.

Auctorum

Auctorum splendore etiam, qui multa diserte,
  Multa probe & graviter composuere suis.
Nec minus ipsorum natura copia dives
  Verborum, & locuples ars quibus, atque modus.
Quæ si cuncta tuo meliora volumine lucent,
  Scribier Hispano quis vetat eloquio?
Nil etenim historia vitæ morumque magistra
  Pulchrius, aut scitu dignius esse potest:
Historia, memoris sensus quæ vita salusque,
  Thesaurusque potens, thecaque dives opum est.
Nuntia præteriti semper fidissima secli,
  Factorum testis conscia, viva, gravis.
Lux veri, pulchre gestorum fama, tenaxque
  Opprobrium & vindex ingeniosa mali.
Nec tamen Hannibalis, nec diri gesta Jugurthæ
  Scribere, materies digna labore tuo est.
Non urbis, gentisve, ducisve alicujus honores,
  Dogmata non veteris relligiosa Numæ:
Sed quantum rerum gestarum Phœbus ubique
  Aureus, aut Phœbi vidit opaca soror;
Tantum Pontificum summorum pressius acta
  Scribit, & arguta nectis in historia.
Tum nostræ divina etiam præcepta salutis
  Addis, & astriferæ relligionis opes.
Quo fit, ne dives scriptarum nomine rerum
  Aut Græca, aut fuerit lingua Latina magis.
Hispanoque illis certare volumine possis
  Materie & libri regificis opibus.
Te vero, o nostri secli decus, anne ego dignis
  Laudibus in cælum tam rudis arte feram?
Tam rudis ingenio, tam nulla parte disertus,
  Tam doctrinarum cognitionis inops?
Te quem, cum Latio loqueris sermone, Quirites
  Prorsus in astra suo cum Cicerone ferunt.
Cum Græco, magni doctis reputaris Athenis
  Aut Ithaci, aut cani Nestoris ore loqui;

Cui, cum naturæ cauſſas rimaris opertas,
  Quis Plato? vel quis non cedat Ariſtoteles?
Myſtica cum ſacræ pandis miracula legis,
  Addi qui poſſes quinque videre viris;
Quem, rigidum dicis cum jus, Chirona fatemur,
  Atque Prienæam vincere juſtitiam.
Quæ quanquam ſummis virtutes laudibus in te
  Sint dignæ, verum has non ego laudo tamen.
Et quoniam magis admiror, quam mente ſequaci
  Percipio, atque index non niſi lingua animi eſt;
Et quia me ſatius facturum, ſi nihil hiſce
  De rebus, quam ſi dixero pauca, puto.
Adde, quod ipſe tuis tu te es laudabilis actis,
  Atque micas pura, ſicut Apollo, die;
Auctores interque alios, ceu Luna, refulges,
  Inter ſidereos aſtra minora choros.
Uſque adeo falſi nihil audes dicere, veri
  Cuncta audes, dulci tam brevitate vales:
Tam nulli ſcribis ſuſpectus, nulla ſimultas
  Tam te, tam fallax gratia nulla movet:
Membratim uſque adeo decurris in omnia, mores,
  Urbes, arma, viros, tempora, geſta, locos,
Sacra, prophana, vias, fluvios, mare, littora, montes,
  Pacem, bella, duces, vulnera, ſigna, tubas,
Imperia, & nullis gentes ſub legibus ortas,
  Inſidias, raptus, dira venena, neces;
Idque genus, quæ ſi fuerint mihi guttura centum,
  Si linguæ, nequeam connumerare tamen.
Cuncta ſuis digeſta locis quæ ſic tamen ipſe
  Diſponis, mira creſcat ut arte liber;
Et micet, ut puro fulgentia ſidera cælo,
  Diſpoſita æterna quæ micuere manu.
Livius ergo tibi quis non, quis Curtius, aut quis
  Non cedat Criſpus, Cæſar, & Andronicus,
Euſebius, Florus, Juſtinus, Oroſius, Afer,
  Pauſanias, Proſper, Naucratideſque Charon?
Attamen

Attamen Hiſpanæ deerit ſua gratia linguæ,
Et poterat Græca ditior eſſe liber.
Scilicet aut poterat locupletior eſſe Latina;
Neutra tua tibi ſit quum peregrina magis.
Parcite, Romanæ Muſæ; mihi parcite, Grajæ:
Præ Muſis inopes eſtis Iberiacis.
Exerite, Aoniis quantum pater occulit undis
Phœbus, & unguiſatis Bellorophontis aquis.
Quantum Pymplæis tribuit, Clariiſque cavernis,
Grynæo nemori, Pieriiſque jugis;
Quantum Delos habet, quantum Parnaſſia rupes,
Et Rhodos, & Tenedos, Chryſa, Therapna, Paros;
Tanto Eldana quidem id totum Tirynthia vincit,
Divitiis quanto vinceris, Ire, Mida.
Et quantum Babylonis opes, aut Lydia gaza
Urceolos ſuperat, Codre, torumque tuum.
Quis furor ergo alia, quam lingua ſcribere Ibera?
Aut potuit quali ditior eſſe liber?
Seria, nulla magis graviter, nulla aptius, & tam
Præclare pro re, magnificeque ſonat.
Mollia, nulla magis tenere, pungentia nulla
Acrius, aut tanta ludicra cum Venere.
Nulli tanta ſubeſt verborum copia, nulli
Dicendi tot ſunt lumina, totve tropi.
Tam faciles numeri, tam voces auribus aptæ,
Quoſque putes ſuperos poſſe docere, modi.
Præterea id juſtum eſt patriæ dare, quæ tibi vitæ
Principium fauſto ſidere læta dedit.
Ut per quam vivis, vivat per te ipſa ſuperſtes,
Et patriam fama vincat, Homere, tuam.
Atque Eldana, dies qua ſurgit & occubat almus,
Notior Arpino ſit, Rhodioque ſolo.
Tum Mæcenati proavis a regibus orto
Eſt operæ pretium te placuiſſe tuo
Qui licet eſt Græca doctiſſimus atque Latina,
Attamen Hiſpana gaudet ubique loqui.

Sæpius

Sæpius & populum (linguam nervosque corona
  Mirante) Hispanum mystica sacra docet.
Et Manuelææ gentis splendoribus addit
  Subnixum mitra pontificale caput.
Qui, suus ut mos est, opibus te auraque juvabit,
  Esse sibi nisi vult degener, atque suis.
Adde, quod imperium sequitur quoque lingua, quod ultra
  Oceani extendis, magne Philippe, vias;
Ultra iter Herculeum, validique Evantis, & ultra
  Sidera, & oppositos e regione polos.
Qua patet ergo vagi solis via, prospicit arva
  Qua sua de cælo pulverulenta Ceres:
Cingitur infido quaque humida terra profundo,
  Quaque volant venti, sidera quaque meant:
Denique qua domitis Hispana potentia terris,
  Et patet imperium, magne Philippe, tuum;
Illesca, æterna populis cum laude legeris,
  Et tua fine carens fama perennis erit.
Hispanoque volans super astra volumine vinces,
  Vinces Ausonios Argolicosque libros.

AD VERZOSAM.

Dum, Verzosa, canis quæ te sunt digna, virosque,
  Armaque, & immensi ponderis edis opus;
Invidiamque moves Phœbo, Phœbique sorori,
  Virgiliumque refers, Mæonidemque senem:
Mi satis est, nitidos Mariannæ dicere ocellos,
  Auratasque meo carmine ferre comas.
Purpureasque gėnas mirari, & frontis honorem,
  Et multa ambrosias laude notare manus.
Multa queri de me, de nostris multa favillis,
  Hei mihi de domina plurima sæpe mea.
Hei mihi multa quoque irato convicia Amori
  Dicere, nec diva credere matre satum.
Hircana sed rupe genus de trigide sæva
  Duxisse, & Stygio tela levasse lacu.

Cætera

Cætera me Veneris prohibet puer, ipſaque mater,
  Et magis ambobus quæ Marianna poteſt.
Tu cane bella gravi numero, divine poeta,
  Et Mæcenatis fortia geſta tui.
Vel perge Antoni titulis ornare ſepulcrum
  (Ah ſcelus! ah facinus!) ſæva Diana, tuum.
Seu quodcunque paras, ſtupeat quod Roma, quod unum
  Præferat antiquis omnibus orbis opus,
Matura; & nomen felix ingentibus auſis
  Adde pelo: noſter ſit Marianna labor.

AD MARIANNAM.

ODi te, quanta es, (fateor,) Marianna, fateri
  Nec pudet; odi te, lux mea, ſi qua fides.
Odi, ſed quam odi, cuperemque magiſque magiſque
  Odiſſe, invitus cogor amare tamen;
Depereoque, ſequorque invitus: ſic tuus iſte
  Me trahit & retrahit, perdit & urit amor.
Sic quem ſævitia terreſque fugaſque proterva,
  Tam raris revocas formæ animique bonis.

DE LIVORE ET MARIANNA.

NUper dum nitidos Mariannæ ſpectat ocellos
  Semianimis nimiam livor ob invidiam;
Miraturque modo divinæ frontis honorem,
  Colla, manusque modo, purpureaſque genas;
Brachiolumque modo niveum, tereteſque lacertos,
  Et modo diſperſas colla per alba comas;
Nunc humeros, nivibuſque pares duo poma papillas;
  Nunc latum ex omni parte, decenſque latus;
Cætera nunc Scythicas vincentia membra pruinas,
  Nunc os divino nectare dulce magis;
Illa modo, quæ me perimunt, ſapientia verba,
  Eloquium humano dignius ingenio:

Ad

Ad me versus ait: Fatum mihi quale parasset,
  Hæc tibi blanda magis si Marianna foret!

AD AMOREM.

IMprobe, si cælum patria est tibi, Juppiter almus
  Si pater, & peperit te Cytherea Venus;
Si deus es, mensisque deum, scelerate, recumbis,
  Nectar & ambrosia est si cibus, atque merum.
Quid totos habitas mecum noctesque diesque,
  Heu oblite poli, Cypridis, atque Jovis?
Quidve sitim lacrymis compescis, perfide, nostris?
  Nostra medulla tibi pro dape curve placet?
Curve face æterna cineremque umbramque fatigas,
  O patria atque domo digne puer Stygia?
O verè rabidum genus exitiale ferarum,
  Quid furis? Umbra sumus, jam levis umbra sumus.

DE ANTONIO MENDOZZA.

DIlectam dum sæpe petit Mendozza Dianam,
  Invidit Cereris filia, & arripuit.

AD OSSIAM MARCUM.

MArce, quod in tanta versaris luce, placesque,
  Quantum qui vates perplacuere magis;
Non Helicon, Pindusve tibi, tribuitve Cytheron,
  Aut quæ Gorgoneo defluit unda jugo.
Gurges major aquæ majori in monte bibendus,
  Ut carie & tenebris eximerere, fuit.
Ergo ubi majoris montis juga cautus adisti,
  Hesperiæque redis flumine lotus aquæ:
Ceu coluber veteri detracta pelle, coruscas
  Fulgentique novo corpore & ore nites.
Ut dubium, vatine magis qui transtulit, orbis
  Debeat, auctori carminis anne tibi.

DE

DE MORTE SYGÆÆ.

ERgo obiit decus orbis? & hoc jacet inclyta Phœbi
Gloria Musarum, spesque, jubarque loco?
Illa ergo, illa jacet tumulo hoc, quæ fœmina doctis
Anteferenda fuit, diva Sygæa, viris?
Illa Palestinæ, Græcæ, Latiæque perita,
Quam decimam Musis addidit Hesperia?
Nec dirum patrasse nefas, rupisse beata
Stamina crudeles erubuere deæ?
At sacer in lacrymas Helicon, Pindusque, Rhodosque,
Nec non Parnassi collis uterque fluit.
Quin pater ipse etiam cytharam indignatus Apollo
Fregit, &: Hæc quod agat, nil magis, inquit, habet.
Per quam numen eram, per quam mihi gratus, ademta est.
Umbra modo, & Phœbus non nisi mutus ero.
Ad quem Musarum planctu chorus inquit amaro,
Singultu voces impediente graves.
Hactenus Aonides fuimus, fuit Hippocrene,
Numinis atque ingens gloria, Phœbe, tui.
Splenduit eloquii jubar hactenus, hactenus ardens
Doctrinæ emicuit cultus, & almus honos.
Quæ tamen eripuit terris mors dira Sygæam,
Phœbeum eripuit Pieriumque caput.
Nec quicquam reliqui, lacrymas nisi fecit, & orbis
Æternum nequeat quod doluisse satis.
Sic divi & pariter tumulo accubuere, sepulcrum
Signantes mœsti carminis indicio.
Hæc tegit urna novem Musas Phœbumque, Sigæam
Quæ tegit, inque uno marmore turba sumus.

AD MARIANNAM.

SIc, mea lux, oculos avertis acerbiter istos?
Heu quoties me vis cuncta dolenda pati!

Perdere

Perdere me tanquam nequeas, Marianna, tuendo,
  Vel sit in obtutu vis tua morte minor.
Sed tu ne peream metuis fortasse beatus:
  Parce metu, res est certa, peribo miser.
Ast hoc, tam miserum quod tu cupis esse, perire;
  Servitio felix incipit esse tuo.

AD CANDIDUM.

EX re nomen habes; nam cum tibi candida membra
  Omnia sint, mens est corpore candidior.

IN UXOREM PAULINI.

SAlve, o Paulini conjux insulsa, cacantis
  Quæ vultum, aut vitulæ parturientis habes;
Quæ turpe incedis, stas turpe, & turpe recumbis,
  Turpe sedes, loqueris turpius, & retices;
Latrantis catuli quæ rides ore Britanni,
  Nigraque quæ nec habes lumina, nec cilium,
Nec frontem lævem, teretes nec nuda papillas,
  Nec latos humeros, purpureasve genas:
Cui neque forma pedis brevis est, nec candida crura,
  Nec longi digiti, nec juvenile femur;
Sed latus infirmum, tumidoque a pectore venter,
  Effœtæ cunno putidior vetulæ;
Alba coma, & nigri dentes, nasusque catellæ,
  Pallida labra, procax os, sine mente anima.
Tene putat bellam sapiens provincia? tene
  Enarrat, celebrat, deperit, insequitur?
Et Marianna, mei tecum confertur amores?
  * * * * * * * * * *

AD MARIANNAM.

GRatia tanta tua est, formæ præstantia tanta,
  Ingenium, virtus, & pudor, & probitas;

Ut

Ut credam Euphroſynem, Venerem, Lunam, atque Minervã
Et te Junonem, Pallida ſive putem.
Non tamen Euphroſyne quod tu, vel Juno, vel eſſe
Luna, Venus, Pallas, ſive Minerva potes;
Par cunctis una es, mea lux: ex omnibus unam
Deligere ut cupias, non potes ipſa parem.

DE CATHARINA.

Mærebat Catharina domi fraudata marito,
Penſabatque uno pignore fata viri.
Cum novus uſſit amor miſeram, cumque omine mæſto
Invenit medio flamma dolore viam.
In juvenem male ſana furit; tunc arſit & ille,
Sed non eſt æquo fœdere ductus amor.
Mox etenim deluſa proco, mox pellice nota,
Heu quid agat, furiis percita neſcit amans.
Nunc in amatorem furit, & nunc morte parata:
Vivat, ait, teſtis criminis uſque ſui.
Mors aliena meum non eſt flexura dolorem;
Vivat, & in letho gaudeat ille meo.
Sic fata exhauſit diram imperterrita mortem,
Atque ait: Heu! major quanto erat ille dolor!

IN AMICAM, QUÆ COMAM TOTONDIT.

Tonſa, capillata ſuſpenſaque ab arbore noſtra eſt,
Hei mihi quæ poterat Cypridis eſſe, coma.
Hei mihi quam luci cuperet præponere Apollo,
Orbaque non ulla lampade terra foret.
Tune meas crudelis opes ſuccidere? tune
Tam pulchra paſſa es parte carere tui?
Anne jubas Libycus ponit leo? Bæthicus anne,
Quo micat & pexo crine ſuperbit, equus?
Deponitne ſuos niſi turpiter hortus honores?
Sylvane frondoſa conſpicienda coma?

Disperеam, si non Germano es digna marito,
Si non Gorgonea digna puella nota.

AD MARIANNAM.

ANcipitem, Marianna, tuæ præstantia formæ,
Et libertatis me meus egit amor.
Nam, fateor, mihi visa deis dignissima amari,
Dilecta es votis me renuente meis;
Invitæque genæ tepido incaluere rubore,
Frigidus & toto pallor in ore fuit;
Invitusque imis traxi suspiria venis,
Et timui cordis proditor esse mei.
Sum vero quoties primo obluctatus amori,
Admovique faces, materiamque malo.
Quare ultro, Marianna, tibi servire decorum est,
Servitium levius, quod bene fertur, erit.
Ergo ego, quem pulchræ rapuit violentia formæ,
Ultro te, mea lux, & violenter amo.

DE CATHARINA.

IMpatiens Catharina suum læsisse pudorem,
Atque procum cineri præposuisse viri,
Certa mori, exhausit tetrum placido ore venenum,
Atque nefas, inquit, quæ facit, ipsa luat.
Sit me, dum vixit, major Lucretia; certe
Conjuge Tarquinii non ero morte minor.

AD GELLIAM.

AUt facito, aut Venerem ne ludas, Gellia, nostram:
Si facis, accipio, sive proterva negas.
Non hodie, faciam cras, aut post; obstat eunti
Aut domina, aut foribus qui sedet usque senex.
Hoc ego non possum perferre: opus est mihi facto,
Non verbis, postquam (væ mihi!) flamma furit.
Quare

Quare age, & optata Venere utere, si sapis; aut te
  Expectent Galli: sum Philodemus ego.

DE SIGÆA.

CUm rapere ambiret solam mors dira Sygæam,
  Ingens Cælicolum copia posse negat.
Egregia in forma moriar, Venus inquit, oportet.
  Subdit, & in casto pectore obibo, Pudor.
Culta Minerva: Manus sine me periisse Sygææ;
  Nec possunt sine me lumina, dixit Amor.
Phœbus Idumæa, Latia, Græcaque loquela,
  Occido, ait, docto turba novena sinu.
Cum mors indignata refert, rapere ausa Sygæam:
  In superos quid ni sæviat illa manus.
Dixit, & etepta Musæ Phœbusque Sygæa,
  Et Venus, & Probitas, Pallas, Amorque jacent.

AD MARIANNAM.

ADmirata tuum mea mens, Marianna, decorem,
  Et compar formæ dotibus ingenium;
Principio in laudes versa est stupefacta deorum,
  Tam magnnm terris qui peperere decus.
Singula mox in te secum dum laudibus effert,
  Quæ laudat, sensim deperit, atque probat.
Uritur, utque ipsa æternum durabit in ævum,
  Sic mihi tu semper cura perennis eris.

AGNETIS CADENÆ EPITAPHIUM.

SI Pudor in pretio est, si compar forma pudori,
  Hæc magnos cineres contegit urna brevis.
Nam tegit Agnetis pulcherrima membra Cadenæ,
  Exemplum ratæ viva pudicitiæ.
Accedit matris fato vitæ inscius infans,
  Auctor materni funeris, atque comes.

Illa

Illa fuit Petri conjux præclara Ruyzj,
Nunc eſt natorum gloria, & ipſa dolor.

AD ACEVEM KALEN. JANUAR.

ALma dies hæc eſt, dantur qua munera amicis,
Obſequii & grata pignora amicitiæ.
Nos tibi, quando aliud non eſt, pro munere carmen
Mittimus, obſequii pignora, Aceve, mei.
Parva damus, fateor; noſtram tamen excipe mentem,
Et magnum ex parvo munere munus erit.

AD GELLIAM.

SI cupis, ecce ego percupio; ſi non placet, hoc eſt
Quod volo: tu tantum ne mihi verba dato.
Gellia, mendaces odi: male ſana puella eſt,
Quæ cupit, & gratis, quod cupit ipſa, negat.
At cupis, atque licet; certum eſt mihi: quis furor ergo eſt
Cauſari, & temet verba dediſſe tibi?

VIVIS EPITAHIUM.

VIves ille meus magiſter, ille
Magnus, ſæcula priſca quem timebant,
Ille, ille ingenio vir omnibus, quos
Roma, aut Græcia tota vidit olim,
Par, hoc conditus eſt brevi ſepulcro.

IN CANDIDUM.

CAndide, habes faciemque albam, barbamq;, comamq;
Atque oculos albos, atque ſupercilia;
Candidiuſque nive eſt collum tibi, candida membra
Omnia, villi omnes: attamen ater homo es.
Qui fieri poſſit, rogitas? quia mens tibi nigra,
Famaque parta tibi eſt, ſed pice nigra magis.

IN

IN MARCUM.

MArce, refers uno lecto tibi carmine noſſe,
De tot quis demum ſcripſerit auctor opus.
Aſt ego te credo mentiri; aut dic, age, cujum eſt,
Conjugis ignorat Marcus adulterium.

AD P. BENEVENTUM.

IMmeritum cum me divinis laudibus effers,
Ingenium agnoſco, docte poeta, tuum,
Qui muſcam gryllumque facis Jovis arma tenere,
Pro volucre armigera, pro Ganymede ſcyphum.
Braſſica Chryſippo ſic commendata niteſcit,
Rapa Dioclea non minus aucta lyra eſt.
Calvitiem ſuper aſtra tulit ſic docta Syneſj
Muſa, Cononea ſic coma fulget ope.
Idem Tyndaridem laudavit rethor, & idem
Damnavit, facili nil renuente manu.
Sic tamen hæc omnes faciunt, laudentur ut ipſi,
Apti tam nihili res celebrare tamen.
Tantundem facis ipſe, meum cum nomen ad aſtra
Erigis, & magno carmine parva tonas.
Ingenium, vires, doctrinam oſtendis, & artem,
Et quantum inventis, eloquioque vales.
Ergo ego nec quidquam video in me laude notandum,
Quæ tibi ſat pleno cedit amica gradu.
Mantua ut invideat Pamplonæ, Tybris ut Argæ,
Cedat & ut patriæ Roma ſuperba tuæ.

SYGÆÆ TUMULUS.

SIſte hoſpes; brevis eſt labor; heus conſiſte: puella
Te voco, quæ gelido contegor hoc tumulo.
Hæc ſatis ampla moræ merces tibi; ſed cape majus
Hoc pretium, ut quæ ſim marmore clauſa, legas.
Hic ſum communis mundi dolor, illa Sygæa,
Illa novem Aoniis addita virginibus;

Erudiit

Erudiit cunctis quam Pallas in artibus, & quam
Ornarunt forma conſpicua Charites;
Quam docti ſtupuere viri, quam maxima Roma,
Quam Græci, & Solymi, quamque peruſti Arabes.
Ergo capit cujus vix tellus nomen, at urna
Hæc tegit exiguo marmore membra brevis.
Neſcius hoc volui ne eſſes. I, fide caducis
Aut formæ, aut rari dotibus ingenii.

AD MARIANNAM.

CAndidior niveo cum ſis Marianna liguſtro,
Quis minio tinxit ora genaſque tibi?
Quis tibi purpureo, mea vita, labella notavit
Oſtro, tela capit unde Cupido ſua?
Unde ſupercilinm geminus nigrat arcus? & unde
Flaves Phæbæis invidioſa comis?
Unde oculis rogus iſte tuus, flammæque potentes?
Hei mihi, queis crucior, diſpereoque miſer!
O labor exoptande! quies o plena laboris!
O ſine qua cupiam protinus ipſe mori!

AD CANDIDUM.

CAndide, cum tibi ſint membra omnia candida, pectus
Eſt tibi ſed niveo corpore candidius.

AD ACEVEM.

NUper præſulibus quod ſis, doctiſſime Aceve,
Aſſertus, Carolo gratuler, anne tibi?
Gratuler anne tibi, munus qui Cæſaris ornas,
An Carolo, merito qui tibi dona dedit?
Namque tui ſimiles quum tollit honoribus ille,
Et ſe, & regali numine digna gerit.
Attollitque ſuis pietatis ſigna, beatum
Queis hoc imperium, regnaque avita facit.

Tu quoque majori, quamvis ſit Cæſare dignum
  Hoc quod habes munus, munere dignus eras.
Sive juvat mores, aut nomina priſca tuorum,
  Clarum doctrinæ ſeu reputare melos.
Ergo nec Carolo, nec quod tibi gratuler ipſi,
  Eſſe puto; meritas tu capis, is dat opes.
Huic urbi, quæ te ſtudiorum excepit ab alvo,
  Quæque tibi blandos præbuit una ſinus,
Gratulor, excelſa quod te jam ſede locatum
  Conſpicit, & fructum ſic pietatis habet;
Quæque pium ex facili patronum fecit alumno;
  Tu, niſi virtutem, nil meminiſſe potes.

DE CATHARINA.

A Juvene eluſam cum ſe Catharina videret,
  Decrevit, manes conjugis ulta, mori;
Acceptumque hauſit ſponte imperterrita virus,
  Et: Non mors, inquit, ſed mihi cauſſa dolet.

AD ANTONIUM EREDIAM.

Eſſe mihi quoties ſummum te dicis amicum,
  Eredia, ingenium laudo proboque tuum.
Nam ſcio te alternum nobis bene velle; ſed iſtud
  Non eſt, quod jactas, munus amicitiæ.
Nullus in urbe mihi male vult; ſed tu mihi ſolus
  Carior ambobus diceris eſſe oculis.
Attamen uſque vagus ſi te fortaſſe requiro,
  Tu nuſquam in tota es obvius urbe mihi.
Nam tota te Caſtrus habet, vel Guerra (pudendum!)
  Ludentem chartis nocte dieque malis.
Occurrit ſi forte mihi res ſeria, vel ſi
  Ludicra, quam cupiam propoſuiſſe tibi;
Et quam te celaſſe nefas, quam dicere cuiquam,
  Te præter, crimen peſſimum amicitiæ;

Appares

Appares nuſquam, ludis ſemper: potes eſſe
  Luſor homo, & cuiquam ſummus amicus homo?
Quid faciam? dicis; patruumne offendere ſuades?
  Si bonus eſt, ludo læditur ille tuo.
Tu tamen aut ludi ſervus, vel noſter amicus,
  Sis licet utrumvis, ſis ut utrumque, nequis.
Antoni, nunquam ſervo bene ſervio amico;
  Nec ſervus, noſter ſummus amicus erit.

AD MARIANNAM.

DEpereo magis atque magis quo te, mea vita,
  Odiſti contra tu magis atque magis.
Nec precibus, lacrymiſve meis, neque amore moveris,
  Qui cauſſa heu noſtri funeris eſſe velis.
Nec fieri proprio cernis diſcrimine mortem
  Quam mihi pro noſtro ſedula amore paras.
Amplius ipſe meus non ſum, Marianna; peribo,
  Ut jam diſpeream non niſi, diva, tuus.

AD LODOICUM.

HOſpitium, Lodoice, tuum ſic Gellia adibit
  Noſtra, Caballinas ceu rudis hoſpes aquas.
Sed quid? Virgilio placuit paſſerculus: ergo
  Diſpliceat metus eſt pulchra puella tibi?

AD MARTINUM MUNNOCIUM
In obitu Hieronymæ, ejus filiæ.

ERgo obiit, Martine, decus veſtrum, unica matris
  Filia (me miſerum!) quæ decus urbis erat?
Me miſerum! jacet ergo exangue Hieronyma funus,
  Pulchrius in tota qua nihil urbe fuit?
Nec puduit patraſſe nefas crudelia fata?
  Hei mihi! nec Lacheſim diſſecuiſſe colum?

Et

Et, ſcelus indignum, teneram rapuiſſe puellam,
Dignam Neſtoreos vivere, ſiqua, dies.
Heu ſpes vitæ dementes! heu gaudia falſa!
Heu ſævum imperium, duraque juſſa deum!
Voſne illam primis, Parcæ, rapuiſſe ſub annis?
Vos teneram ſævis unguibus arripere?
Exangueſque artus, & frigida membra ſepulcro
Tam cito, & extremis oſſa dediſſe rogis?
Nec pudet, heu, vitæ non dumbis quattuor annos
Tangentem, celeri ſurripuiſſe manu?
Dicite io pæan; viciſtis: parva dearum
Una puella manu concidit icta trium!
Digna tribus divis victoria! digna triumpho
Scilicet! en divis victa puella jacet.
Dj faciant, tituli laus hæc ſit maxima veſtri:
Sed miſer ah! pueros, ſurripitiſque ſenes.
Nec prodeſt ſua forma, decuſve, ætaſve puellis,
Mors rapiat nigra quin bona quæque manu;
Quin genus omne hominum, rerum genus omne reſolvat
Impia, & obſcuro quin pede cuncta terat.
Magna ubi nunc Troja eſt? ubi nunc fortiſſimus Hector?
Æacides, Telamon, aut Menelaus ubi eſt?
Nunc Amphioniæ quid. ſunt niſi paſcua Thebæ?
Aut Thebas ſeptem qui petiere duces?
Quid decus Iſchomachæ, quid profuit optima forma?
Digna licet poſito bella ciere mero?
Juppiter Antiopen quid quod Nycteida fleſſe
Dicitur, & Parcas increpuiſſe feras?
Aſpice Tyndaridem, quæ bello miſcuit orbem,
Digna rapi toties quæ fuit, & repeti.
Hanc tamen atra dies rapuit quoque, & intulit orco,
Nec timet armatas impia mille rates.
Quid juvat ergo decus? viridis quid proficit ætas?
Quid pudor? aut acti quid ſine labe dies?
Sis formoſa licet, moriere, puella licet ſis:
Injiciet ſævas mors inopina manus.

Vive pudica; tamen rapit improba mors quoque caſtas,
  Innocuo nulli profuit ire pede.
Ætati confide bonæ; ecce Hieronyma primo,
  Heu primo vitæ limine rapta jacet.
Non ego te in tanto ſolabor, amice, dolore;
  Ferreus eſt qui non effluit in lacrymas.
Quid Niobe tantum, aut Hecube Priameia planxit,
  Altera facta lapis, altera facta canis?
Memnonis aut mater, vel ſævi mater Achillis?
  Heliadum vel quid, fabula, tota domus?
Tu, Martine, potes merito tu plangere, donec
  Totus eris lacrymæ, guttaque totus eris.
Tene rogus tenet? heu, te extremæ, Hieronyma, flammæ?
  Tam cito tune cinis, tune favilla jaces?
Hunc generum matri ſervabas? hosne nepotes?
  Scilicet has tædas, conjugiumque patri?
Heu facies ubi nunc, primis magis alba pruinis?
  Colla ubi non tacta candidiora nive?
Me miſerum! crines ubi circum colla fluentes,
  Quos cuperet Phœbus præpoſuiſſe ſuis?
Illane crudeles potuiſtis lumina Parcæ
  Claudere? & in nigra verſa videre nece?
Illa manus potuit Phœbæum claudere lumen,
  Quæ potuit tantum ſuſtinuiſſe nefas.
Te Venus alma tamen moriente, Hieronyma, non eſt
  Mæſta minus, nato quam moriente fuit.
Nec jacuit confuſa minus, quam fulmine ſævo
  Inguina cum pueri rupit acerbus aper.
Ecce Amor extinctamque facem, everſamque pharetram
  Rupit, & intactos pulchra Minerva ſinus.
Sed bene quod noſtri ſupereſt pars maxima, qua nunc
  Vivis, & es ſuperis addita virginibus.
Sidereoſque recens miraris diva penates,
  Æthereiſque comes læta deabus ades.
Atque alios jam longe, alios pede plaudis amœno
  Læta choros, alia carmina voce canis.

Tu, Martine, deæ fletu interrumpere ludos
  Desine: siqua fides, condolet illa tibi.
Parce precor lacrymis, precibus tantum utere: non est
  Tam deflenda patri res, genuisse deos.

AD ANTONIUM SORIAM.

ANtoni, hoc subito mea mens perculsa dolore
  Virginis ad vestræ fata profudit opus.
Mittere quod volui patri: sed vulnus acerbum,
  Quis dubitet, quin sit refricuisse nefas?
Ergo tibi nostri hoc statui pro teste doloris
  Mittere, pro lacrymis, pro gemituque meo.

AD BENEVENTUM.

AUt esto, aut dici Beneventus desine: non est
  Conveniens voci tam mora longa tuæ.
Est male compositum nomen, quo diceris; at vox
  Te venisse tamen jam bene significat.
Dumque ego te expecto, dum tu, Benevente, moraris,
  Jam fessum terris condit Apollo diem.
Et pluit, & gravior nox expectatur, & imber,
  Et superandus adhuc est Reniega mihi.
Ergo vale, & dici Beneventus perge, sed Indum,
  Aut album vulgus ceu vocat Æthiopem.

GREGORII CASTRI TUMULUS.

PArce locum audaci incessu temerare, viator,
  Petra verecundo est hæc adeunda pede.
Gregorius Castrus jacet hic, qui nuper Olympo
  Additus, hic posuit cum chiragra podagram.
Urna tegit morbos, præter quos tertia sancto
  Parca nihil potuit eripuisse viro.

CA-

CATHARINÆ RIVERUS TUMULUS.

INvigilo ægroto dum ſedula ſemper amico,
Officioque levo languida membra meo;
Adjutum eripui vicini e faucibus orci,
Et, fateor, noſtra redditus eſt opera.
Indoluere tamen, crudelia numina, Parcæ
Servatum tanta ſedulitate virum.
Et ſecuere meæ currentia ſtamina vitæ,
Et: Sic, dixerunt, vincere diſce deas.
Vince, ſed iſta tua tibi ſtet victoria vita:
Ille quidem valeat, dum tamen ipſa cadas.
Occubui hyberno contracto frigore morbo:
Sed felix, quod te ſoſpite, amice, obii:
Marmore in hoc igitur condor Catharina Riverus;
Ipſe vale, & meritas da tumulo lacrymas.

DE DIE NATALI.

SUrge age, Phœbe; tuas meus eſt natalis ad aras:
Sume lyram; ſacer eſt, ſurge age Phœbe, dies.
Sume lyram, pulcherque veni, citharæque canoræ
Vocales docto pollice tange fides.
Pecte comas, nitidoque veni formoſus amictu,
Sacra dies hæc eſt, & bona verba cape.
Nunc decet intonſam dominæ oſtentare juventam,
Nunc canere Æmonia carmina læta lyra.
Qualia te memorant ſtabulis ceciniſſe ſub altis
Admeti, tardas cum ſequerere boves.
Regia cum virgo paſtoris carmine victa eſt,
Et ſenſit patrio numen adeſſe gregi.
Funde merum; jam Phœbus adeſt: da thuris honores,
Parte ſub extrema quos alit orbis Arabs.
Funde puer cyathis plenis; funde, improbe: cedunt
Sidera jam Phœbo; funde Falerna, puer.

Sidera

Sidera jam Phœbo cedunt: venit ille recenti
Qualis erat mundi Juppiter imperio.
Qualis & ipse fuit cæso Pythone, superbam
Vel qualis, Daphnem cum sequeretur, erat.
Alme veni, lætumque diem suspendito terris.
Jam venit; adde merum, funde falerna, puer.
Ure, puer, sacra thura: focus quid cessat? adest jam.
Incipe Niliacæ corticis urere opes.
Ure Arabis myrrhæ succos; ure, improbe, nardum
Quod dat Achæmenius, vel quod & Indus ager.
Anne vides, toto fugiant ut nubila cælo?
Plurima ut arguto gutture cantet avis?
Surgit ut ille ruber pleno nitidissimus orbe?
Fragret & a multo flore venustus ager?
Nunc ego crediderim Veneri accubuisse Gradivum,
Et posita amplexus casside ferre deæ.
Nuper abit, mensemque suum secum abstulit ille,
Vulcano ut melius sic, puto, verba daret.
Tertia lux hæc est Martis contermina mensi;
Ah sine Marte Venus tres sit amante dies!
Adde quod est Veneri mensisque diesque sacratus,
Atque aperit veris dives Aprilis opes.
Fallor? an hoc ipso deprensos tempore Phœbus
Risit, & ad Veneris detulit acta virum?
Fallor? an Aprilis media sub nocte Kalendis
Senserunt trepido retia cæca metu;
Et jacuere toro deprensi turpiter uno,
Crimina & ex illo nota fuere die?
O utinam sic turpis ego complexus amicam
Dicar, & a domina sic ego turpis eam;
Et tecum Marianna toro deprendar in uno!
Conde precor teneras, lux mea, conde genas.
Conde sinus, mea lux; formosas conde papillas,
Ora verecundo quæque rubore tepent;
Aut ego te nostro condam sub pectore totam:
Illa mihi veniat sæpe cupita dies.

Dum

Dum loquor, ecce tamen medio est altissimus orbe
Phœbus; age ergo, puer, funde age, funde merum.
Sparge rosas, & funde merum, multisque penates
Floribus, & fictos stipite sparge lares.
Stipite crediderim fictos, quos Troius heros
Eripuit patriis, urbe cadente, rogis.
Ista pium atque gravem scimus coluisse Quirinum
Numina, & hæc eadem sacra fuisse Numæ.
Nos quoque ab innumeris proavisque atavisque penates
Quid mirum, & fictos stipite habere lares?
Qualescumque tamen, puer, eja age, sparge coronis:
Hæc coluit multus numina noster avus.
Hec tutam tenuere domum tria sæcula nostram,
Et teneant post hæc sæcula multa precor.
Divitiæ periere quidem, princepsque potestas;
Sed Villegatum stirpsque domusque manet.
Palma fores, laurusque tegat, minioque rubenti
Splendeat antiquæ limen utrumque domus.
Sed properat Phœbus meta propiore quadrigas
Solvere, & in teneros Tethyos ire sinus.
Quo properas, lascive? mane: nunc luce perenni,
Nunc sine nocte decet continuare diem.
Continuasse duas sine te Latonia noctes
Dicitur, & votis complacuisse Jovis.
Quo properas, lascive? mane hic: mihi vota supersunt.
Parva futura mora est; tu, puer, adde merum.
Adde merum, niveoque cado fragrantia mella:
Non ego divitias, arvaque magna petam.
Nil mihi cum gemmis Eoi gurgitis: aurum
Qui petit, ille fretum naufragus ore bibat.
Sit Marianna mihi conjux nova: dirige amores,
Phœbe, meos; conjux sit Marianna mihi.
Sit Marianna mihi conjux nova: vincula necte
Phœbe pater; conjux sit Marianna mihi.
Illa meis oculis, illa est mihi carior auro:
Hæc mihi conjugio vincula nectat amor.

Vincula

Vincula quæ maneant, donec rugosa senectus
Inducat seræ tempora dura necis.
Tunc quoque me blanda moriturum voce salutet,
Et lacrymis oculos irriget usque meos.
Et nunquam reddenda mihi summa oscula libet,
Luminaque admota contegat illa manu.
Auguror, eveniet: rubicundo sidere Phœbus
Annuit; interea dulcius annus eat.

AD MARIANNAM.

VEsanos quoties volui, Marianna, furores,
Quasque moves flammas, forte referre tibi;
Ille meis quamvis semper deus ossibus hæret,
Qui me, ceu prædam, nocte dieque necat:
Lingua ipsa, & vox ipsa mihi, meditataque verba
Desunt, cumque ipsa tum quoque voce sonus.
Et vix sustineor, pedibusque genuque labante;
It salsus passim per mea membra fluor.
Occupat & subitis tenebris caligo diemque,
Luminaque, & sensus cæca repente meos.
Nec quicquam superest, lacrymæ nisi; quæ quoque mutæ,
Ut possunt, mea lux, ecce precantur opem.

AD LUDOVICUM.

SUme, decus rarum Hesperiæ, Lodoice, protervam
Gelliam, & a Gallo non tibi amante datam.
Vinco ego Alexandrum: dedit ille potitus amicam;
Quid mage? at intactam præbeo: non magis est.

DE CATHARINA.

CUm miseranda procum Catharina arderet, & illum
Ureret in Venerem forte Cupido novam:
Non tulit eludi: Moriar, sed protinus inquit:
Justa est læsus amor, dignaque caussa necis.

Sic

Sic misera occubuit Dido, sic Lesbia Sappho,
  Et fuit his mortis, quam mihi, caussa minor.
Perfide, nec satis actus me in morte relinquis;
  Nec Latii fuerant regna petenda tibi.
Me fugis, atque ultro moribundam deseris, & te
  In gremio diræ pellicis esse juvat.
Ast ego te famæque meæ, sanctoque pudori,
  Et nato, & vitæ, præposuique viro:
Pro quo, & pro nostri miserando fædere lecti
  Destituor, Stygios mox aditura lacus.
Ergo ibo, & pœnas neglecti conjugis ultro
  Ipsa dabo, & nostri funeris auctor eris.
Dixit, & ingentem calicem bibit ore veneni,
  Morsque, ait, hæc culpam demeruisse potest.

HELENÆ MIRANDÆ EPITAPH.

RElligione, fide, pietate, pudore Lacæna
  Major, & heu! forma non minor hic Helenæ est.
Mirandæ nomen virtus dedit, & genus; eheu
  Mirandum hoc etiam est, hanc potuisse mori.

AD BENEVENTUM.

CUm jam jam te venturum juraris, amice,
  Quis fore tam longam crederet usque moram?
Præcipue cum te Beneventum dixeris esse,
  Quod bene quid dudum veneris esse potest?
Hæc me decepit, qua sum ratione moratus,
  Sic ut vix possim nocte tenere domum.
Nocte gravis, quæ jam tenebris ruit, instat & imbre,
  E borea oppositus dum Reniega mihi est.
Tu vale, & hoc nomen, quod me decepit, habeto:
  Sed me ne hoc iterum fallere posse puta.

D.

D. MARIÆ CASTANNEDÆ EPITAPH.

SI formam inſpicias, Veneris ſunt membra ſepulcro hoc;
Si mores, caſtæ Palladis oſſa jacent.
Nam Maria, hoc tumulo quæ conditur, inclyta gentis
Caſtannedarum gloria quæque fuit,
Moribus & forma tam divam vincit utramque,
Utraque quam ſumma eſt munere diva ſuo.

EPITAPH. ALFONSI MOTARIS.

ALfonſi cineres brevis hæc tegit urna Motaris,
Sexdecim (id eſt aliquid ſi modo) qui vir erat.

FONS MARIANNÆ.

PArvus eram, & fracta Frechas dicebar ab unda;
Magnus, io, poſtquàm ſum, Marianna, tuus.

EPITAPH. LUISSÆ MIRANDÆ.

MOribus, & forma, & generis cognomine, vere
Miranda, hoc tumulo clauſa Luiſſa jacet.
Dicito quiſquis ades: Cæleſti pace fruatur.
Tam bene quæ vixit, mortua digna polo eſt.

VICHII EPITAPHIUM.

VIlchius hic cultor, tantumque poeſis amator,
Sed nulla cultus parte poeta, jacet.

AD MARIANNAM.

SI mihi cara magis non es, Marianna, tibi ipſi
Quam ſis, Tartarei concremer igne dei.
Diſpereamque Jovis librato fulmine ab arce,
Te niſi amo, pluſquam te met amare potes.

Et nisi te puro, ceu nunc, ita semper amabo
  Pectore, vulturibus sit jecur esca meum;
Et lacer extrema jaceam tellure, nec usquam.
  Ullus jactatis ossibus adsit honos;
Te nisi jam fato functus, ceu vivus, amabo,
  Servabitque ignes ni cinis usque meos.

AD VILCHIUM.

DOcte poeta, meos celebras dum carmine patres,
  Et Villegatum tollis in astra genus;
Quanta tuis, generique meo, proavisque paratur
  Gloria carminibus, tanta parata tibi est.
Nam quicumque leget per te mea stemmata, versus
  Extollet miris laudibus ille tuos.
Ingenium eloquiumque grave admirabitur, atque
  In re difficili tam faciles numeros.
Vate melos dignum, summo quoque rethore verba,
  Aptaque digestis lumina sparsa locis.
Hæc tua sunt summa semper dignissima laude;
  In me quæ laudas, sunt aliena tamen.
Est illustre mihi, fateor, genus: attamen hoc sum
  Culpandus, proavum ni sequar acta magis.
Namque quid ad nostras, si regia stemmata, laudes?
  Promeruit cæsis hostibus unus avum?
Atque Tolosiacis victor si splenduit arvis,
  Et quas defendit, arcibus emicuit?
Si Villegatem conclamavere cohortes,
  Et patriæ pater est dictus Iberiacis?
His extollatur Petrus Fernandius actis
  Pro meritis, expers laudis at hujus ego.
Nam quæ non feci, mea non sunt: tollite Musæ,
  Tollite ad astra meos, qui meruere, patres.
Talibus ornatos virtutibus, haud decet ulla
  Promeritæ laudis parte carere viros.
Illi etenim magno, Roderici a clade, fuerunt
  Auxilio nostris regibus, & patriæ;

Excepere

Excepere ſuis qui fuſos ſedibus, aſper
  Aſtur ubi, & durus Cantaber arva colit.
Nam Villegates ſedem hanc habuere, minores
  Unde decus ſummum nobilitatis habent.
His quoniam terris, atque his in montibus orti,
  Bellando qui rem reſtituere, duces.
Donec ad Alphonſi ſapientis tempora ventum,
  Floruit, undecimus qui mihi Petrus avus.
Cujus conſtanti fidei commiſſa ſupellex
  Regia, & aulai tradita ſumma fuit.
Tradita quin etiam teſtamentaria cura,
  Irrita ſublato ne duce juſſa forent.
Munera quæ tali geſſiſti, Petre Ruyzi,
  Cum fide, ut hinc laudem vindicet omne genus.
Et quantus fueris bello miremur & armis,
  Et pacis quantus artibus, atque togæ.
Hinc alii ſubiere duces, quorum inclyta geſta
  Hiſpanæ cecinit conditor hiſtoriæ.
Nec tacuiſſe tuas laudes, Roderice Perezi,
  Dicitur; aut laudes, Petre Ruyze, tuas.
Alter apud regem patriæ mandata tuliſti,
  Alter es Hiſpanæ præpoſitus patriæ.
Sanctius accedit virtute Ruyzius iſtis,
  Pœnarum exactor regius, ac ſcelerum
Quem patrem virtute inſignem, Alfonſe Perezi,
  Subſequeris, nulla ſed ratione minor.
Te quoniam, proceres inter, tua patria vidit
  Adſcriptum ſacræ militiæ numero;
Felicemque magis nato, qui pectore & armis
  Præclarus, pacis muneribuſque fuit.
Burgis præfectus ſcelerum exactoribus, atque
  Regalis præſes qui rationis erat.
Omine ſed cura rationum functus iniquo,
  Hoſtem Mercurium pertulit, atque Jovem.
Nam correptus ubi eſt Petrus Fernandius atra
  Morte, fuit fiſcus regia præda viri.

Atque

Atque aliena velut conflassent æra minores,
Hastæ majorum supposuere bona.
Hinc clades generis, sed qua nec territa virtus,
Nec fuit extinctus nobilitatis honos.
Nam nec prætereo, te Petre Ruyzie, nec te
Digna tori consors, fortis Olalla, viri.
Nec te magnanimis Burgorum, Petre Ruyzi,
Patribus a puero commemorate tuis.
Nec te magne, decus patriæ, Fernande; Beatrix,
Nec te quæ tali es facta beata viro.
His successit avus noster, quem Phœbus Apollo,
Pieridesque suis asseruere choris.
Cui prisci vates assurrexere canenti,
Et cessit Ditis regia Tartarei.
Ergo mihi tu Petrus eris Fernandius, hæc si
Scripta meo fuerint digna nepotis avo.
Si fuerint fortasse meo haud indigna parente,
Martia qui Musis miscuit arma novem.
Et quantum virtute animi, & fulgentibus armis,
Ingenii tantum dotibus emicuit;
Hujus in arbitrium lusus committere summam
Rex atque Hesperii constituere duces.
Tanta viri virtus quoniam, tanta unius in re
Tam celebri herois cognita relligio,
Regibus ut fuerit regnandi norma, novique
Orbis ad arbitrium qui nova regna dedit.
Cujus judicium, missi velut æthere ab alto
Numinis, imperii cura severa tenet.
Salve igitur, mihi care parens; tua, Petre Ruyzi,
Gloria, nomen, honos, fama perennis erit.
His atavis, proavisque, atque his ego patribus ortus,
Carmine quos celebras, Vilchie docte, tuo.
Quorum ego virtutes si forte imitabor, abunde
Patris, avi, & proavum sanguine dignus ero.
Sin minus, hoc ipso culpandus degener, horum
Fretus imaginibus quo minus acta sequor.

Quare

Quare ego, amice, tuo vel motus carmine, veſtram
Præturam cura cum meliore geram.

AD MARIANNAM.

EX quo viſa mihi primum eſt Marianna, Cupido
Injecit ſævas in mea corda manus,
Armatuſque tuo ſuperavit numine inermem:
Quid mirum a gemino me periiſſe deo?

AD FRATREM.

VIvere tot ſine me potuiſtin dulciter annos,
Frater, utroque mihi lumine care magis?
Sed bene, nam noſtram de te pendere ſalutem
Sciviſti, utpote qui vita ſaluſque mea es.
Quare abſens præſenſve mihi ſic vivere cura,
Ut mea ſit vita proſpera vita tua.

AD LIVIAM.

ES Livina, tamen divinam dicere poſſem.
Hoc forma, & virtus, id potuere patres

VILLEGATIS EPITAPHIUM.

VIllegas jacet hic; Venuſque, Amorque
Flent; nam quem peperit Venus de Amore,
Et quem de tenera Cupido matre
Suſcepit pater, impius peremit.

AD AMOREM.

QUid lacrymis tantum inſultas, puer improbe, noſtis?
In tenues umbras quidve, proterve, furis?
Quid juvat heu cineres ſemel infeſtare jacentes?
Non ſum Villegas, non ego, ut ipſe putas.

O bone, jam ille obiit; Mariannæ ferre superstes
  Nec longum caræ dissidium potuit.
Nos Villegatis cineres sumus: illius ergo
  Qui periit, tenues quid furis in cineres?

STEPHANINÆ EPITAPHIUM.

HIc Stephanina sita est: secum tulit illa lepores,
  Nec jam numen Amor, nec Venus ulla dea est,

AD BENEVENTUM.

SCilicet o tragico jactura ululanda dolore!
  Scilicet Iliacis anteferenda rogis!
Et magis aut Priamo deflenda, aut Hectore cæso,
  Aut rapta Argolici Pallade fraude ducis.
Sollicita nimium cura si charta sodalis
  Dignior haud nasci, quam superesse, perit.
Quæ rapienda fuit per nigram viva culinam,
  Atque cucullata fronte habitura piper;
Cordylas madida vel mox tectura papyro,
  Fumosave coqui dilaceranda manu;
Quæque tuos inter forte asservata libellos
  Sincerum potuit contemerare sophos.
Turbida ceu nitidum denigrant nubila solem,
  Conturbat claras aut fera turpis aquas;
Picaque Cecropias lædit velut improba voces,
  Attida multisonum cum nemus omne gemit.
Vel cum Ledæos anser strepit inter olores,
  Offendit ripas, magne Caystre, tuas.
Ergo quid potuit vilis fecisse papyrus
  Rectius, a te quam lecta perire semel?
A te, cui rursus si se daret illa legendam,
  Quæ placuit, poterat displicuisse modo!

DE MARIANNA.

Qualis ab Idalio rediit Cytherea triumpho,
 Victrici referens aurea poma manu,
Haud contenta deas forma ſuperaſſe, niſi orbem
 Vicerit, a ſummi labitur arce poli;
Et terras formoſa ſubit, mundoque ſubacto
 Urbem, Rellanzon qua fluit, ecce venit:
Et petit indigenis forma contendere nymphis,
 Si ſit in hoc pugnæ quæ genus ire velit.
Audeat aut ſecum dextram adjeciſſe duello
 Forſitan, aut ſperet vincere virgo deam.
Ergo ubi ſigna dedit veniſſe in prælia matrem
 Armatus fulva cuſpide mollis Amor;
En Marianna venit, genus heroumque, ducumque,
 Nobiliumque domus Lermias ampla virum.
Fulva comas, & nigra oculos, & candida pectus
 Collaque, & ambroſias, ceu dea, longa manus.
Ore lepos, niveiſque genis, roſeiſque labellis,
 Et triplex lævi gratia fronte micat.
Digna parente Jove, aut ſi qua eſt, Jove digna marito:
 Tantus honos membris, gloria talis ineſt,
Tam gravis incedit, tam toto corpore magna eſt,
 Tam nulla in magno corpore menda ſubeſt.
Eminus obſtupuit viſa regina Cytheris,
 Et penitus gelido debilitata metu eſt.
Qualiter admotum cum vidit Pelion Oſſæ,
 Tela gigantæa vel jacienda manu.
Mox ubi ſidereum nymphæ propiore refulſit
 Ore decus, totas explicuitque faces:
Vincimur, exclamat; minor eſt injuria ſponte
 Cedere, quam invitam ſuccubuiſſe tamen.
En ego me fateor victam: ſed cedite, divæ,
 Cedite, ſive ſoror, filia ſive Jovis.
Una omnes Marianna deas diſcrimine nullo
 Vincit, & eſt omnes vincere digna deas.

Sic

Sic Venus : at nympham ſpoliis cæleſtibus ornat,
Et pharetra & telis ipſe Cupido ſuis.
Arbitriumque dedit feriendi hominesque deoſque,
Atque ipſe imprimis vulnera ſentit Amor.
Uritur, inque unam Mariannam incendia ſentit,
Et flet, &, Urit, ait, qualiter iſte rogus?

DE PATRIA.

BUrgenſis vitam præſtet mihi patria, buſtum
Præbeat ignota vel niger Indus humo.

AD IMPLENDAM PAGINAM.

QUærebam vacua quid poſſem ſcribere charta,
Et melius viſum eſt, pro hoc quid, ineſſe nihil.
Addimus ergo nihil; nihil hoc tamen undique chartam
Implet, ut affirmes hoc nihil eſſe aliquid.

AD CLOHOBARDUM.

FOrte ſacri nuper legeres cum in vertice Pindi
Liliaque & teneras, o Clohobarde, roſas;
Te Pallas Phœbuſque vident, te agnoſcit uterque,
Illa notat Græco nomine, at hic Latio.
Te ſibi vel vatem, vel ſummum rethora Roma
Vindicat, obſiſtit Græcia tota tamen.
Argolicumque cupit tantum, teque aſſerit ultro,
Eſſe magis rethora, ſive poeta velis.
Attamen hanc pugnam Pallas Phœbuſque coercent,
Aſſerit & vario nomine uterque ſibi.
Muneribuſque ſuis ornatum gaudet uterque:
Sic rethor, vates, Græcus es, & Latius.

EPITAPHIUM ERASMI.

HEus quamquam properes, tamen ſepulcrum
Hoc te, quiſquis ades, rogat moreris

Pau-

Paulisper ; brevis est labor futurus :
Ut se respicias , legas , sciasque
Quod scriptum est . Jacet hic dolor suorum ,
Orbis gloria , gentis , & Batavum
Splendor : nunc cinis est , Erasmus olim .
Hoc est quod voluit : vale beatus .

AD CLOHOBARDUM.

FLander eras natus ; tamen es sub Pallade Græcus ,
Et sub Phœbeo munere sis Latius .
Urbeque donatus Græca Latiaque ab utroque
Numine , es en Græcus Flander , & Ausonius ,
Exercesque novem Musas : sic numine terno ,
Laudi ut sis Græco sit , Latio , atque tuo .

EPITAPH. ANDREÆ.

HIc Venus , hic Charites , Mars , Musæ , Pallas , Apollo :
Hos capit , Andream quæ capit urna brevis.

DE ERASMO.

QUi putat extinctum supremo funere Erasmum ,
Fallitur ; hujus enim vita perennis erit.
Namque olim æternam peperit vitamque decusque
Musa , nec in doctos Atropos ulla dea est .
Nam semel Aonias qui degustaverit undas ,
Ille nihil prorsus , quod moriatur , habet .
Dum volat , obrepat membris sopor , inclyta fama ;
Vita tamen surdæ nescia mortis erit .
Spiritus in libris , vox , nervi , sanguis Erasmi
Cernitur , effigies , vultus , & eloquium .
Cor quoque , lingua , lepor , lumenque , salesque , jocique ,
Schemataque , & docta gratia cum Venere .
Denique vita , fides , animus , pietasque , pudorque ,
Simplicitas , candor , relligionis amor .

 Ergo

Ergo erit æqua polo dum res Hiſpanica , vives ;
Vives docte tuis ſemper Eraſme libris.

AD MARIANNAM.

UT, Marianna, Venus cedit tibi, ſanctaque Pallas
Et forma & caſti dotibus ingenii;
Sic ego amore omnes , quotquot prior attulit ætas,
Et ſupero quotquot tempora noſtra ferent.
Pulchrior ut dubium ſiſne , an mihi charior ipſa,
Quantumvis pulchra es , ſed mihi chara magis,
Lux mea ; nam facies ſero vincetur ab ævo,
Noſter poſt cineres uſque vigebit amor.

LESMI CORALIS EPITAPH.

LEſme, tuum fatum non urbs modo tota, ſed ipſa
Quæ ſecuit filum , Parca ſevera dolet.
Ipſaque, quod potuit miſerum poſt funus , & urnam,
Atque urnæ hoc carmen cum lacrymis poſuit.
Hic cinis eſt Leſmi Coralis , quem ſua virtus
Fecit poſt mortem vivere perpetuo.

IN MELCHIOREM.

MElchior , adſcribis Naſonis carmina vati,
Talia qui nunquam carmina compoſuit.
Idque facis magna populi ſpectante corona,
Et credis furtum poſſe latere tuum.
Et facis audacter ; fatuum nam me quoque dicis,
Detexi riſu quod ſaliente nefas.
Ipſe quidem fatuus , fatui ſi noſcere mendam eſt ;
Tu ſapiens , mendas dicere ſi eſt ſapere.

AD MARIANNAM.

CErtabat natura potens ſe numine in uno
Multorum dotes cogere poſſe deum.
Contendunt ſuperi contra , ſylvaſque Diana,
Phœbus jactat equos , Juppiter imperium;

Oſten-

Ostentatque Venus formam, Mars tela, Minerva
Ingenii dotes, Junoque jactat opes.
Te solam natura refert, & protinus omnes
Exclamant: Uno vincimur hoste dii.
Multorum dotes Marianna, & numina divum
Sic habet, ut quemvis sorte sua superet.

ELISABETHÆ BESARIS TUMULUS.

O Mors, quam nimio es malis timori!
Quam contra nihili bonis putaris!
Quæ solas rabiem exeris caducas
In res, nec nisi sponte quæ senescunt;
Solvis corpora, nec potes beatos
Immutare animos. Putas triumpho
Dignum Besaris ossa Elisabethæ
Solvisse, & cito traditam sepulcro,
Abs casto temere Alvaro tulisse.
Quanto est dignior illa laude summa,
Cujus tam fuit approbata virtus,
Ut dignam satis esse comprobarit:
Qua vivente, mala orbis, & labores
Pensaret merito probus maritus?
Quam dignissimus hic quoque est triumpho,
Qui postquam comiti optimæ dicavit
Saxum hoc, & cineres levi sepulcro
Contegit nimis improbo dolore;
Nil dignum amplius esse summo amore,
Nil terris animo viri putavit.
Quare quam potuit reliquit orbem,
Et factus monachus Dei sacerdos,
Virtutis specimen, deditque amoris.

ANDREÆ EPITAPH.

HIc jacet Andreas, Parnassi gloria: non jam,
Non quo se clypeo Pallas obumbret, habet.

Flent

Flent Musæ, & Charites, plorat Venus, æger Apollo est,
Rupit amor pharetram, docta Minerva sinus.

IN HENRICUM BRITANNIÆ REGEM.

BArbaricos thyrsos sileat crudelis Agave,
Nec remorata patrem vulnera Colchis agat.
Non ferat appositum natum Philomela parenti,
Sit pius Ægysthus, sint Diomedis equi.
En majora dedit Britannia crimine in uno,
Ausa quidem, possit quid scelus omne simul.
Scilicet ejectam thalamis, cessisse superbo
Reginam scorto, non grave crimen erat?
Occupat e media pellex turpissima plebe,
Regalis tulerat quæ modo sceptra manus.
Eloquar an sileam? placuit quoque crimine crimen,
Et scelere inceptum multiplicare scelus.
Porrigit heu sociæ quondam regni impia conjux
Pocula, lethali pocula mixta lue.
Nec licet expulsam regno sine crimine vitam
In gemitu, & lacrymis degere, & in tenebris.
Tollitur e medio divum certissima proles,
Qua poterat tellus æquiparare Jovem.
Esse putas superos ergo, qui talia cernant,
Henrice? an nullos esse putas superos?
Tarda deum vindicta, severior attamen hæc est:
Nullaque culpa deis prorsus inulta manet.
Aut tua te conjux, quam diligis, improba linquet,
Accipietque toro perfida mille procos.
Aut faciet, cur te miserando judice mortem
Oppetat, & dextra concidat icta tua.
Nullus amor tibi certus erit, sed quotquot amabis,
Efficient ut mox vindice te pereant.

VIRGILII EPITAPHIUM.

QUi cecini sylvas, agros, & Martia bellà,
Virgilius vates contegor hoc tumulo.

AD CLOHOBARDUM.

REthora ñnc Græcum quod gens stupet alma Quiritum,
Hoc tuus effecit, mi Clohobarde, labor.
Ille etenim Argiva tantum olim cognitus urbe,
Per te est Romanis cognitus, ut Cicero.
Græcus erat sermo, nunc est te auctore Latinus;
Et dubium, melius nunc sonet, anne prius.

AD MARIANNAM.

POstquam sævus Amor miseris mihi sensibus hæsit,
Nullaque pars nostri libera Amore fuit;
Sic, Marianna, tuæ crevit reverentia formæ,
Ut tecum, aut sine te, sit mihi nulla quies,
Es procul? absentis præsens tamen acrius urit
Ignis, & a nulla flamma juvatur ope.
Discrucior præsens, totumque incendia pectus
Haurit, & obsequio læditur usque suo;
Emoriarque prius, quanti quam caussa doloris
Sis mihi, vel cupiens significare queam.
Obstat Amor, vereorque miser, quod sæpe poposci,
Te tibi dicendi tempus ut esset: Amo.
Attamen hoc melius quam te, mea vita, carere:
Utilius summa parte carebo mei.

DE ERASMO.

EXtincto quicumque diem fore credit Erasmo,
Audeat extincto quærere sole diem.
Illum terra tulit, quo se conferret Olympo,
Atque etiam visa est fertilis esse deum.

Sed

Sed minor ipsa suo genitrix mæstissima partu
  Passa est, quod nequiit numen habere, mori.
Amissumque dolet misera, æternumque dolebit,
  Et fraudata suo sole sepulta jacet.
Deme polo Phœbum, nox intempesta sequetur,
  Mortalis terræ Phœbus Erasmus erat.
Ille vias repetit, rediturosque occulit ignes,
  Alternatque ortus versus, & interitus.
Huic postquam brevis una semel lux excidit, haud est
  Alternare vices, exuere aut tenebras.
Sed nox, adveniat donec fera judicis hora,
  Nos tenet, & placidum jam fore crediderim.
Non ne vides astris, ut cedunt sidera Phœbo,
  Hesperus aut regnet, sole cadente, polo?
Sic, mihi crede, diem quicumque sequetur Erasmi,
  Nox erit, obtineat Hesperus astra licet.
Luciferum eripuit terris mors improba; non jam
  Germanis lucem qui ferat, ullus erit.

AD CLOHOBARDUM.

SEdula cum doctos legisset Musa labores,
  O Clohobarde, tuos, sic dubitasse ferunt:
Num magis ad Latios accedas ipse lepores,
  An referat Græcos Battalus ipse suos.
Et tandem eximios ambos dixisse, Latinum
  Te, Græcumque illum; te tamen esse magis.
Namque illi peraratum opus ut non carcere vinctum,
  At tibi perpetuo carcere pressa manus.
Sic tamen alterius vestigia obisse sequendo,
  Ut campo forsan liberiore fluas.

EPITAPHIUM BERNARDINI.

Martinis Lermæ & Leonoræ Villegatis conjugum.

HOc Bernardinus Martines Lerma sepulchro est,
  Conjux Villegas cui Leonora comes.

Improba

Improba mors vicit mortalia corpora; verum
Virtutis formam vincere non potuit.

DE GALLO.

PErdere qui cupiet, poterit rem credere Gallo;
Sed qui pauca volet perdere, pauca dabit.

DE GALLA.

QUæ ſcripſi, omnia pulchra Galla legit,
Sed nil rettulit: ergo quid negabit?
Cur non fœmina fertur? eſt honeſta.
Eſt, ſed fœmina: fœmina & pudica,
Quum ſit fœmina, non poteſt, negare.

DE AMICA.

PRæda petita cani lepus eſt, & poſcitur hamis
Piſcis, at a noſtro noſtra puella toro.

EPITAPHIUM ERASMI.

HUmanum quodcumque habuit divinus Eraſmus,
Reſtituit patrio mors violenta ſolo.
Sidera cæleſtis petiit mens, oſſa ſepulcrum
Hoc tegit; at nomen vix bene terra capit.

AD FONTEM MARIANNÆ.

O Digno donande mero, florumque caniſtris,
Fons, qui de dominæ nomine nomen habes;
Fons Mariannæum referens decus, optima divis
Præponenda fuit quo Marianna tribus.
Splendidior vitro, cryſtallo purior alba,
Apte magis quo ſit, quam mare, nata Venus.

Cras

Cras mihi distincto maculis donaberis hædo,
 Cui nova jam tereti cornua fronte tument.
Destinat & Venerem qui frustra, & prælia, rubro
 Inficiet gelidas jam tibi sanguine aquas;
Et cadet ante gregis soboles lasciva, maritus
 Quam sit, quam torva prælia fronte gerat.
Adspergam Bacchi quoque te cum flore vetusto,
 Nosse meos proavos quem potuisse reor;
Inque hunc a multis servatum patribus usum,
 Vina forent sacris ut mea digna tuis.
Te flagrantis atrox canis os contingere nescit,
 Si Phaethonteo sæviat igne dies.
Defessis adeo das frigus amabile tauris,
 Cum referunt lasso vomere aratra domum.
Et pecus ipse vagum reficis, pecorisque magistros,
 Membraque ab assiduo fessa labore levas.
Fies nobilibus dignus qui fontibus olim
 Adscribare, lacum me referente tuum;
Et scopulum mediis surgentem fluctibus, unde
 Desilit assiduo murmure lympha loquax.

VIVIS EPITAPHIUM.

Cujus scripta capit vix tellus, nomen Olympus,
 Hæc Vivis cineres contegit urna brevis.

EPITAPHIUM ERASMI.

Ut Deus in partem mundi melioris Erasmum
 Acciperet, mentem sustulit, ossa manent.
Astra tenent animum, clauduntur membra sepulcro,
 Astra animi, cinerum patria terra fuit.

AD MARIANNAM.

Abrumpi sua jura parens natura dolebat,
 Esset quod Pallas vertice nata Jovis.

Cyprida

Cyprida cum vidit natam ſpumantibus undis,
  Et furit, &c: Paſſim ſic ego lædar? ait.
Nec ſatis, æterna naſcendi lege ſolutæ
  Quod ſunt, ni magno ſint in honore deæ.
Præſit & hæc formæ, teneat ſceptra illa pudoris,
  Utraque neglectis legibus orta meis.
Dj melius; dicarque parens effœta, niſi uno
  Pignore ſuſtulero nomen utrique ſuum.
Tum totas effudit opes, enixaque ſummis
  Viribus in medium te, Marianna, tulit.
Utque novum terris fulſit decus, undique cedunt
  Numina, nec tanto vincier hoſte grave eſt.
Tunc Venus egregium formæ deponit honorem,
  Cecropis eximiæ ſceptra pudicitiæ.
Ipſa utrumque capis decus immortale, pudoris
  Et formæ, turba nil renuente deum.
At Natura licet divas ſuperaſſe beatas
  Gaudeat, eviciſſe attamen ipſa dolet.
Sic etenim totas effudit prodiga vires
  In te, ut ſit partu debilitata ſuo.
Marceat ut totis effœtis viribus, ingens
  Ut nullum poſthac non vereatur opus.
Aut ſi conetur, poſſet præſtare; priorem
  Ne ſit quod timeas, aut, Marianna, parem.

DE ERASMO.

Æthereas poſtquam ſedes pervenit Eraſmus,
  Eloquii eripuit nomina Mercurio.

AD DIVAM VIRGINEM.

O Virgo, æterni mater ſoboleſque parentis,
  Nata enixa patrem, fœmina virgo Deum;
Salve, atque inſtantis famuli, dea, ſuſcipe verbum
  Ut mea ſit celſo mens tibi juncta polo.

DE DOMINÆ EFFIGIE.

EFfinxit faciem pictor, mentem ipsa figura
Ecce aperit, pulchrosque refert pulcherrima mores,
Ipsaque mente nitet, ceu quod complectitur aurum
Insignem gemmam, pretio majore nitescit.

AD MARIANNAM.

UT, Marianna, tui tetigit me cura, relicta est
Nulla alia in toto pectore cura meo.
Noctes atque dies una est sententia cordi,
Te solam ut toto pectore semper amem.
Hoc placet, hoc unum est, tota quod mente fatisco,
Quod juvat, atque animum detinet usque meum.
Quid mihi cum Phœbo? quid cum Parnasside turba?
Quid mihi cum thyrsis, ebrie Bacche, tuis?
Hæc studia inquirant alii; mihi sola placebis,
Sola eris & studium, deliciæque meæ.
Namque meus quantum durabit spiritus, una
Noster eris tanto tempore solus amor.

DE MORO.

IMproba ne solum Diomedis senserit arma
Alma Venus, Morus deteriora tulit.
Læsa Venus tumidas patrem commovit in iras:
Quid fiet, læso nobiliore deo?

EPITAPHIUM GUIOMARÆ BARBÆ.

HOc tumulo Guiomara jacet Vernuvia conjux,
Nomen cui generis nobile Barba fuit.
Pulchrior in dubio est, fuerit vel amantior æqui,
Clarior an rari dotibus ingenii.

Occidit

Occidit ante diem miseranda, dolore peremta,
Unde viro geminus perpetuusque dolor.

AD HENRICUM REGEM ANGLIÆ.

TU modo, qui summum feriebas vertice Olympum,
Æthereis dignus vivere cura deis;
Heu furis, & vetito raperis male sanus amore,
Inque toro diræ pellicis esse juvat.
Nec; satis audaci nam Morum extinguere ferro
Ausus es, atque Anglos expoliare patre.
Si virtus divos, si divos crimina tangant,
Non impunita, More, jacebis humo.

AD MARIANNAM.

UT tua forma parem nunquam, Marianna, videbit,
Ingenium, virtus, gratia, fama, lepos;
Sic meus e tantis caussis qui nascitur ignis,
Fit summus, caussæ par sit ut ipse suæ.

ANDREÆ CARDENÆ EPITAPHIUM.

QUis jacet hic? Phœbi clarum jubar, una sororum
Gloria. Quis rapuit? Pestis acerba viro.
Quod nomen misero? Andreæ. Quæ est illa catena?
Illa est, qua virtus barbariem domuit.
Quis pater, & quæ mater? Bernardinus, & Agna.
Hæc, moritur quoniam, vivit; & ille obiit.
Quos habet hic secum comites? comitantur amicum
Spes, virtus, pietas, intemerata fides.
Quid tegit urna brevis? cineres & inania membra.
Quid de animo factum? Christus in astra tulit.
Ergo quem appellas miserum? quem facta beatum
Effecere? comas sit lacerare pudor.
Non tulit hunc tellus, tellurem non tulit ille.
Quem non terra tulit, sidera ferre juvat.

DE

DE VITA ET MORTE.

PRincipium mortis vita eſt, mors ipſa ſalutis.
Dum vivis, moreris; dum moreris, ſuperes.
Vive igitur mortis memor, & morere immemor ejus;
Quæ perit, ut vita perpotiare deum.

TACENDUM.

VEra negare licet nunquam, tamen ipſa tacere
Fas eſt, ne gravius pullulet inde malum.
Si ſapis ergo, tace. Nocuere ſilentia nulli:
Sæpe nocet domino garrula lingua ſuo.

IDEM.

FAſve nefaſve vides, vel acuta percipis aure?
Parce, frui ſi vis; qualiacumque tace.
Cuncta videre licet cunctis, audireque cuncta,
Aſt impune loqui non niſi pauca licet.

DEO DEBERI OMNIA.

MElla favi, ſed parva favos dat apis, quia tu das
Mella, favos, & apes, & bona cuncta, Deus.
Tu, bene ſi quicquam ceſſit tibi, numen adora,
O homo; namque tuum nil niſi crimen habes.

LIMEN CUBICULI.

DUre labor, curæque graves, hoc ſiſtite greſſum
Limine: ſancta quies interiora tenet.

CUBI-

CUBICULUM.

ITe procul, vigiles curæ; procul ite, labores.
Hæc loca blandus habet ſommus, & alma quies.

VENTURÆ EPITAPHIUM.

PLus nimio Ventura fui ſtudioſus equorum,
Dumque equito, excuſſus concido, & intereo.

ALIUD.

VEnturæ mihi nomen erat, genus a cruce ſancta,
Ordo eques, ardor equi; dumque equito, intereo.

AD MARIANNAM.

O Crudelis adhuc, Veneriſque ſuperba potentis
Muneribus, miſerum cur, Marianna, necas?
Inſperata tuis veniet ſed faſtibus ætas,
Quæque humeris volitant, auferet hora comas.
Puniceaque roſa qui nunc prior eſt color, ora
Pallida mutatus deſeret, atque genas;
Vertet & in faciem Mariannæ membra pudendam,
Quæque puella modo eſt, poſtmodo fiet anus.
Tunc quoties ſpeculo deformia videris ora,
Fernandique tui forte eris ante memor;
Quæ mihi nunc (dices) mens eſt, cur ante puellæ
Non fuit? his animis incolumesve genæ?

AD B. VIRGINEM.

DIva Dei genitrix, partuque enixa parentem
Ipſa tuum, mundi ſpeſque, decuſque poli.
Unica virgo parens naturæ lege ſoluta,
Fertilis æterna virginitate Deo.

Sponſa patris ſummi, mater ſanctiſſima nati,
  Numinis æterni flamine facta parens.
Fecundo complexa utero divumque hominemque,
  Orbis quem totus, ſidera nec capiunt.
Virgo decens, ſummoque patri gratiſſima, Virgo
  Quæ potis es primum ſola piare nefas.
Quam Deus elegit, per quam ſuccurreret orbi,
  Per quam pro noſtro eſt crimine factus homo.
Et moriens, comparque patri datus hoſtia, mundum
  Luſtravit, veniam demeruitque bonis.
Huc oculos huc, diva, tuos converte; recumbit
  In te ſola ſalus, ſpeſque, fideſque mea.
Nemo tuas ſupplex incaſſum acceſſit ad aures,
  Nemo tuam fruſtra ſollicitavit opem.
Eſt aliquis mediis ſubmerſus fluctibus, & jam
  Jam pontum miſero naufragus ore bibit?
Te vocat, & ſubito cedit mare, littora ſurgunt,
  Servatuſque tuo numine liber abit.
Illeque lethali confoſſus pectora telo,
  Ad tua confugiens numina, ſentit opem.
Tu maris imperium, tu mundi ſceptra polique
  Sola tenes, nato par prope, diva, tuo.
Ad te confugio ſupplex: miſerere jacentis,
  Diva, tui famuli, quem premit atra lues.
Obruta ferali languent mea membra dolore,
  Nec facit officium pesve manusve ſuum.
Vix potis eſt tandem ſe mens attollere cælo,
  Et precibus divos ſollicitare piis.
Te tandem ante alios omnes, ſanctiſſima Virgo,
  Teſtem noſtra vocant vota preceſque, dea.
Erige languentem, dirumque extingue dolorem,
  Namque potes, fallit nec tua vota Deus.
Tu potes exangues artus revocare ſepulcris.
  Ipſa jubes? vetus pergit in oſſa vigor.
Nec tam difficile eſt: in quo patiare repulſam,
  Quæ regis imperio ſidera clara tuo?

Namque

Namque ubi de nihilo ſtruxit pater optimus orbem ,
  Componens aderas cuncta , regenſque ſimul .
Et prius omniparens proprio quam pondere tellus
  Staret , vel liquidis unda mearet aquis ;
Aſtra prius quam luce ſacra luſtraret Apollo ,
  Lunaque noctivagis alta niteret equis;
Vaſta prius vallo quam finiretur abyſſus,
  Concepta æterni mente parentis eras .
Ergo tui famuli feſſis , dea, proſpice rebus ,
  Te duce ut optata , Virgo , ſalute fruar .
Protinus ipſe tuo ſervatus numine dicam ,
  Diva , tuas laudes , & tua geſta canam .

MORI EPICEDION.

VIx Morus oſtentaverat terris caput ;
  Cum divitis facundiæ
Vetuſta rurſum effulſerat lux litteris ,
  Honoſque major redditus .
At ſæva tot ſucceſſibus mors invidens
  Injecit aſperas manus ,
Oblivionem tanta ne terris deum
  Induceret felicitas .
Extinxit una , mille quod nunquam dies
  In integrum reponerent .
Non illud at mors dira truncavit caput ;
  Truncavit eloquentiam .
Illo cadente Veneres , atque Gratiæ
  Una incubuere vulneri .
Sed haſce inferias tu doloris accipe
  Saltem dicatas funeri .

AD MARIANNAM.

PEr me, perque meum caput hoc oculoſque, tuendo
  Qui , Marianna , tuum deperiere decus ;

Perque

Perque dolenda meum perpessum plurima pectus,
  Me fore juravi, diva, perenne tuum.
Hæc mea sunt, inquis (sunto) suspiria: sed quid,
  Quid lacrymæ, & gemitus quid, Marianna, juvant?
Quid dolor æternus, quid nocte dieque querelæ,
  Quum fore me juro, diva, perenne tuum?

MARTINI MUNOTII SORIÆ EPITAPHIUM.

HEu tantum fatis Soria de gente licere,
  Ut ruat antiquæ gloria tota domus?
Tune etiam, Martine, jaces? tene hæc tegit urna?
  Calculus hoc potuit, diraque Parca nefas?
Scilicet humanæ hæc est conditio improba sortis,
  Esse quod æternum debuit, ut pereat.

AD VERZOSAM.

QUod, Verzosa, novum celebras ornasque sepulcrum,
  Crede mihi, ingenii rem facis ingenuam,
Te dignam, atque viro sinceri cordis amico,
  Vix qualem quemquam sæcula nostra ferunt.
Nam quid amicitia, aut animi pars altera amici,
  Si gelido cineri cuncta ferenda damus?
Nec, nisi vivus adhuc & commodus, ullus amatur;
  Nec nisi inane fides nomen, amorque vacans.
Scilicet est verum officium virtusque, sodales
  Defunctos fatis eripuisse suis;
Et longæ laqueis exsolvere mortis amicos,
  Ut superent, quicquid mors habet atra mali.
Quare age, quem vivum redamasti, dilige ademtum;
  Facque suus sanctis manibus adsit honos;
Et scelus indignum pharetratæ perge Dianæ
  Incusare, trucis sævitiamque deæ.

Ut,

Ut, Verzosa, ferat functo Mendozius heros,
  Marcelli mater quod pia Virgilio:
Et rari exemplum fias memorabile amoris,
  Frigida qui vivis non minus ossa colis.
Nam qui nec cineres, nec inania membra sepulti
  Diligit, hic nullo tempore amicus erat.

MARTINI MUNOTII EPITAPHIUM.

Hospes, ad hunc tumulum studio quicumque legendi
  Scripta venis; majus, quod tegit urna, homine est.
Martinus jacet hic Munotius: haud jacet unus
  Martinus tamen hic, nec tulit hoc Probitas.
Quin jacet ipsa etiam, tumuloque est condita eodem
  Mors, quoniam alterutrum non potuit rapere.
Fama tamen superest, expers quæ plurima mortis
  Vivit, par meritis sola reperta viri.

PETRI FERNANDII EPITAPHIUM.

Hoc posuit tumulo Petrus Fernandius ossa,
  Digna magis templo pignora, quam tumulo.
Nam probitas siquem, pietasque, fidesque, deumque
  Relligio superis sedibus asseruit;
Hic fuerat numero divum adscribendus, ab omni
  Immunis mendo qui, nisi obisset, erat.

AD MARIANNAM, DE VITÆ BREVITATE.

Labitur hora fugax, ætasque volatilis, eheu!
  Truditur atque dies, o Marianna, die.
Volvunturque novis celeres sub solibus anni,
  Atque eadem nunquam cornua Luna gerit.

N n   Pergunt

Pergunt occulto ſed fallere ſæcula greſſu,
  Et properat nigra mors inimica pede.
Nec pietas rugis adfert, tremulæque ſenectæ,
  Indomitæ aut morti relligioſa moram.
Non ſi, quotquot eunt luces, Plutona trecentis
  Aut bobus places, aut tot amica ovibus;
Effugere, extremæ aut unam ſuperaddere nocti,
  Aut poſſis ruga conſenuiſſe minus.
Scilicet unum omnes manet illacrymabilis orci,
  Deucalion tenuit, quodque Epimethis, iter.
Una omnes mors atra manet, quicumque beatis
  Muneribus cæli veſcimur, atque ſoli.
Sive erimus reges, inopes ſeu ſorte coloni,
  Attamen adnanda eſt omnibus una palus.
Fruſtra acies, fruſtra fugiemus prælia, raucus
  Adria perfractis aut metuetur aquis.
Fruſtra autumnales ſani vitabimus auſtros,
  Et miſſa irati fulmina ab arce Jovis.
Syſiphus Æolides ſemel eſt viſendus, & ingens
  Pondere ſudantem deſugiente labor.
Viſendusque niger Cocytus, & atra Charontis
  Cymba, graves Furiæ, tergeminuſque Canis,
Et Danai genus infame, & miſerabilis undis
  Tantalus, Ixion, & Titii volucris;
Et linquenda domus, telluſque, placenſque maritus,
  Aut uxor, natus, cumque parente ſoror;
Deque his, quas properas modo ſedula texere, telis
  Vix dominam ornatu veſtiet una brevi.
Mæſtaque te de tot comitabitur una cupreſſus
  Arboribus, quas nunc tam ſtudioſa colis.
Cætera conſumet vel centum clavibus hæres
  Servata, & perget dilapidare bona;
Atque pavimentum tinget potiore Lyæo,
  Pontificum menſis, Cæſareaque ſiti.

GARTIÆ LERMÆ ET FILIORUM EPITAPHIUM.

SIt licet, ut brevis est locus hic, tamen ampla virorum
Lermeæ gentis contegit ossa trium.
Parta simul cum patre jacent duo pignora: nomen
Hoc patris, Alfonsi nomen at illud habet.
Tres animæ superis caræ, tria corpora, belli
An pacis dubium munere clara magis.
Magni omnes, omnes genus alto a sanguine Lermæ,
Maximus hæc ergo est qui capit ossa locus.

ABBATUM DUODECIM EPITAPH.

ABbatum bis sex virtus hoc tegit ossa sacellum,
Sanctorum totidem jure putanda patrum.
Per quos sacra fides crevit, quæ cœperat olim
Per totidem Christi tradita discipulos;
Nempe ut Apollineum crescit per sidera lumen,
Signaque producit per duodena diem.

ALPHONSI PEREZII EPITAPHIUM.

HÆc, licet urna brevis, magni tegit ossa Perezj
Alphonsi, magnus qui pietate fuit;
Nec minor ingenio, populi nec honore regendi.
Heu cinis, & magni nominis umbra modo!

MARIANNÆ TUMULUS.

PArva futura mora est quocumque, viator, abires,
Ut, quæ sim gelido marmore clausa, legas.
No-

Nobile erit pretium nomen ſciviſſe puellæ,
Qua nunquam viva pulchrior ulla fuit.
Nunquam caſta magis, nunquam morata, vel (heu!) quæ
Præſtiterit formæ dotibus atque animi.
Cui genus illuſtre, & compar fortuna, maritus
Cui par Villegas unus ut eſſet, erat.
Quique meo ſua ſiſtra deis ſuſpendit amore,
Quaſque habuit, ſacras ſprevit & odit opes.
Nec periit tantum, quam propter vulſus ab aris,
Una aſt mutata conditione perit.
Atque, (heu!) quæ rerum paſſus diſcrimina? ducta
Me tandem ſuperis invidioſus erat.
Sed nequit eſſe diu quis felix; ecce repente
Conjugis eripior maxima pars animi.
Ergo Lermeæ gentis decus, ergo mariti
Æternus tumulo hoc ſum Marianna dolor.
Hoc hoſpes monitum volui te. Funde ſepultæ
Non temere, at triſtes cum gemitu lacrymas.

AD SALCEDUM.

Majori ſolito Phœbumque diemque nitore
Atria luſtrare attonitus, totamque replere
Inſueto fulgore domum mirabar, & unde
Tam ſubita noſter paries ſplendeſcere luce
Cœpiſſet; cum docta meos tua Muſa penates
Ingreſſa, o veteres inter numerande poetas,
Et nulli vatum vates ceſſure priorum,
Explicuit ſe luce nova, Phœbumque diemque
Auxiſſe, & ſubiti cauſſam feciſſe nitoris.
Tam bene culta fuit quoniam, tam comta nitenſque,
Tam terſa, & parte ex omni fulgentibus aucta
Gemmarum radiis, fuerit ſplendentibus ipſa
Crinibus ut Phœbi ſplendori, ipſique diei.
Sic Hyperioniis radiis cum gemma coruſcis

Lu-

Lustratur, se se prodit, lucemque refundit,
Flammarumque agiles per quælibet obvia nubes,
Igneque depasci majori cuncta videntur.
Assurgo, atque humilis venienti occurro: Novemque
O decus atque ingens Musarum gloria, nostros
Quæ dignata lares (inquam) felicibus hospes
Venisti auspiciis: teneasque decora meorum
Scrinia librorum melior, quibus alma priorum
Turba poetarum non te admisisse libenter
Gaudebit tantum; tibi sed loca proxima vati
Cedere Romuleo, felix quæ purpura velat,
Quæ cocco minioque rubent, cedroque peruncta.
Indue, Salcedi, jam luxuriantur, honores.
Quin Colophoniacus dudum te expectat Homerus,
Suppositas quamvis pulvillo regis, eburnas
Aspicit obliquo rapturam lumine sedes.
Perge igitur, fructusque tui tibi carpe laboris
Insignem famam, volitaque per ora virorum,
Mansura æternum, nec sæcula dira timeto.
His ego complector pavidam, atque in scrinia duco,
Virgiliumque inter mediam loco, Mæonidemque.
Tu Salcede vale interea, & dum despicis aurum,
Perfruere egregia virtutis laude, tuum te
Ingenium ut decoret factis, & Palladis arte.


AD VILCHIUM.

QUod scribis nostris peccatum versibus, esse
Agnosco & culpam, Vilchiè, confiteor.
Vel quia stans uno centum pede carmina fudi,
Et tot scribendis versibus hora fuit;
Vel quod & hæc fuerit male libera, nempe rogatis
Bissenis etiam testibus atque tribus.
Adde quod a multis numeros oblita diebus
Musa per insuetum non bene currit iter;

Ac-

Acceleranſque, manum vix primam paſſa, relicto
  Auctori nullo carmine ſtulta abiit.
Quo fit, ut excuſes merito me. Quare age, noſtros
  Aut dele, aut verſus corrige, vel patere.
Me tamen excuſa, niſi ſim culpabilis, una
  Quod ſcribo & teſtes pergo rogare die.

F I N I S.




Google



